COMMENTATIO SVCCINCTA
AD
L. si a Sponso 16. C.
DE

DONATIONIBVS ANTE NVPTIAS

QVA
LEGIS SENTENTIAM PLENIVS DECLARAT
RATIONEM SOLLICITE EXCVTIT
AC DENIQVE VSVM PRACTICVM PROPONIT
CVMPRIMIS AVTEM
QVOD COMMVNIVS HIC TRADVNT INTERPRETES

OSCVLO VIRGINITATEM DELIBARI

Daß die Jungferſchafft durch einen Kuß verlohren gehe/

MODESTE EXPENDIT
CHRISTIANVS VLRICVS GRVPEN

IENÆ, Apud WERTHERVM, 1715.

VIRO CONSVLTISSIMO CLARISSIMO AMPLISSIMO

DOMINO

HENR. CHRISTOPH. OSTERVVALDIO

SERENISSIMI ELECTORIS BRVNSVICENSIS

SVMMO PRÆFECTO CALENBERGENSIS PRÆ-

FECTVRÆ GRAVISSIMO

AVO SVO EO QVO PAR EST OBSEQVII CVLTV

PIE DEVENERANDO

SALVTEM IMPERTITVR PLVRIMAM

OBSEQVENTISSIMVS EX FILIA NEPOS

C. V. GRVPEN.

QVod quidem optaui dudum, AVE VENERANDE, vt Tuorum in me beneficiorum publicum aliquod grata cum mente ederem teſtimonium, id animo lubenti, proclinoque iam exſequor, & quas in publicum iam emitto ſtudiorum meorum exiguas primitias, has Tibi ſacras eſſe cupio. Plane omnium gentium moribus, nefas habitum ſemper, de referenda gratia minimè laborare, adeo vt ingrato nil peius terram alere crediderint. Disputent apud Pufendorfium (a) eruditi, an quædam ingrati actio danda ſit, cum, ſi quid benefactum, leuior pluma, vel gratia, mihi pudor naturalis ſumma ſemper lex fuit, & beneficiorum memoriam abiicere flagitium putaui, quicquid etiam de obligatione ad ἀντίδωρα ſen-

(a) *de Iure N. & G. lib. 3. cap. 3. §. 17.*

ſenſerit Vlpianus. (*b*) Sic VENERANDE AVE, inpræſentiarum pietas iubet, vt, quamuis Tuorum in me meritorum partem nullam aſſequi liceat, voluntatem tamen enixam Tibi remetiar, Quæ Tu, AVE AD CINERES VSQVE PIE DEVENERANDE, mea cauſa feciſti, illa profecto non exigui momenti ſunt, nec horum omnium apud me vnquam intermorietur memoria. Annus iam ſextus, ſi recte quidem memini, agitur, quo diſciplinæ cauſa, Brunſuigam concurrebam ad *Clariſſimum Gebhardi* Gymnaſii Martinei Rectorem dum viueret inſignite meritum, vbi, vt vna cum fratre cariſſimo ſollicite imbuerer iis artibus, quibus iuuenilis ætas informari ſolet, totus in eo fuiſti; Sed cum ex optimi Patris iuſſu, quod pro filio optimum cenſeri debet, Roſtochium diſcedendum fuit, & ætate iam ex magiſterio Gebhardi mei excedente, pedes in curriculum ſtudiorum academicorum ſuere inferendi, nihil omiſiſti, AVE VENERANDE, quod ad ſtudia mea prouehenda facere quicquam poſſet. Biennio in literis pertractandis ibidem confecto, patriam repetere neceſſe habui, quod Danorum & Suecorum motibus, concuſſa Mecklenburgenſium terra fuerit, ideoque inter ar-

(*b*) *l. 11. §. 11. ff. d. H. P.*

ma Roſtochii ſiluerint Romanæ Leges; poſtea quam igitur redeuntem me Calenbergam attuli, pro more Tuo i. e. benigne, AVE VENERANDE, me excepiſti, ibique fori trituram penitius introſpicere permiſiſti, ne ſic quidem deſtitit OPTIMVS AVVS, ſed ex quo lenam abire iuſſus fui, ad vltimam ſtudiorum meorum academicorum manum illic imponendam, maximam ſumtuum partem beneuole ſuppeditauit, & ad hunc vsque diem ſuppeditat large, ac liberaliter. Tot AVI CARISSIMI meritis me deuinctum, obnoxiumque ſentio! Quandoquidem igitur, AVE ÆTERNVM DEVENERANDE, tam late Tua benignitas patet, id gratiæ ſaltem mihi apponi poſtulauerim, vt meam, quam vides commentationem, pertenuem quidem, obſeruantiæ in Te meæ tamen argumentum certiſſimum, ea qua conſueſti humanitate ſuſcipias. Et cuinam quæſo potius induſtriæ meæ ratio reddi debuit, quam Tibi VENERANDE AVE, vtpote a quo illa ſibi & commendationem, &, patrocinium pollicetur. Vtique Te venerabilem ſenem ſeptuagenarium palam reuereri, vbi ad id opportuna iam datur occaſio, oportuit; quod ſi ſenes ſeptuaginta annorum maiores reuerenter colendos duxerunt ipſi iurisconditores, cum a perſonalibus muneribus v. c.

tute-

tutela & curia obeundis, immunitatem dederunt, eo magis omnino meæ partes videntur, vt Te VENERANDE AVE ætate, & autoritate grauem, Virum prisci moris, & priscam grauitatem semper humanitate temperans, ea, qua nepotem obsequiosissimum decet, reuerentia, deuote prosequar. Tuæ, AVE ÆTATEM OBSERVANDE, Præfecturæ, clementissime Tibi demandatæ, per 40. quod maximum est, annos ita Tu præfuisti, vt non solum iis quos subiectos, & obnoxios habes, venerationi sis, sed etiam ab illis, qui a consiliis intimis sunt, beneuolo vultu aspiciaris. Id profecto in OSTERWALDIORUM gloriam commemorari debet, quod per duo iam secula PROGENIEI CELSISSIMÆ BRVNSVICENSIVM PRINCIPVM ATQVE ELECTORVM, operam nauauerint deuotam, & fidem præstiterint inuiolatam, sicque sub horum efflorescente imperio recte honesteque viuendi curriculum a natura datum, a primis inde initiis suis, quæ recognoscunt, ad hæc vsque tempora confecerint. Sed prolixior esse nolo, ne in os laudare Te videar, Tua virtus pretio sui contenta, meo non indiget præconio. Interim AVE VENERANDE, quod plus vice simplici iam rogitaui, repeto, accipe vitæ in secreto hoc musa-

ſarum tradu&ctæ, hos fructus, hos teſtes; & qui vsque Te benigno vſus eſt, huius conatus etiam æqui bonique conſule. Equidem cum iam animum applico, ad ingenii mei vires periclitandas in *Collatione Iuris Communis & Electoralis Brunſuicenſis quoad decimas* inſtituenda, ſub Præſidio EXCELL. SCHROETERI, Præceptoris mei ætatem ſuſpiciendi, ex cuius doctrina vniuerſa ſtudiorum meorum ratio pendet, eo alacriori ſtudio, quem cepi, tenebo curſum, ſi hanc operam non ingratam accidiſſe reperiero. Ceterum Deo Optimo Maximo, qui æui longioris vitam non quietam modo, quam felicem ac fauſtam ſortiri Te huc vsque paſſus eſt, meritam memori mente eo nomine perſoluo gratiam, & ſupplex præterea benigniſſimum Numen veneror, vt vitæ Tuæ tam ſalutaris mihi, tuisque omnibus incolumitatem ad longiſſimum humanæ conditionis proroget terminum. Vale VENERANDE AVE iterum iterumque vale. Scribebam Ienæ, XXIX. Mart. A. R. S. M DCC XIV.

Q. B. V.

PRÆFATIO.

QVod quidem Clariſſimus Pagenſtecherus Tract. *d. Virginum iure* §. *84.* de oſculis tacere maluit, vtpote *ab ipſius ætate*, vti loquitur, *& activitatis ſphæra alieniſſimis*, id cur nec ego penſi habuerim rigidus Cato forte quæſiuerit. Verum non vehementer commoueor iſthoc Catoniano ſupercilio; & quamuis ad illam non confugiam excuſationem, quod inter illum, meque apta occurrat diſparitatis ratio quippe ætatis inæqualitas, ideoque de puellarum gratia quam ille ſenex ipſe ſibi non pollicetur amplius, mihi iuueni non adeo deſperandum ſit, perfacilis tamen & per expedita eſt defenſio noxæ, cuius argui poſſum, propulſandæ. Neque vero laſciuienti ſexui heic baſia offero, illa enim nec temporis præſentis, nec ſtudiorum ratio admittit, ſed Conſtantini Oſcula breuiori commentatione illuſtrata, atque omnimodo caſta, caſte in publicum ſiſto. Plane memorabilis eſt illa ſacratiſſimi Imp. Conſtantini Sanctio in

L. 16 C. de Donationibus ante nuptias, quæ non ſolum in admirationem interpretum traxit animos, ſed ad accuratiorem etiam commouit meditationem. Equidem cum in enucleanda genuina leges ſententia, vaccillare multos, & in ratione ſolide excutienda, plurimos hæſitate deprehenderim, operæ pretium eſſe exiſtimaui, rem momento ſuo ponderare, atque accuratius paulum examinare mecum, quo quid in tantis Dd. diſſenſionibus habendum dicendumque ſit, ipſe potiſſimum edocear. Vt igitur viam quam inſtitui ordinate, & ſuccincte perſequar, præſentem commentationem tripartitis membris exſequi viſum fuit; quapropter

Membrum PRIMVM genuinum legis noſtræ ſenſum eruet.

Membrum SECVNDVM de ratione legis laborabit.

Membrum TERTIVM denique Vſum Practicum commonſtrabit.

Ceterum quod ſi iuuenili ætati dari quicquam conuenit, hosque incitari magis quam comprimi par eſt, & ego Lector Beneuole placidam ſpero cenſuram non rigidam, vbi in hoc argumento multis difficultatibus implicato minus recte verſatus fuero. Breuiter fateor atque profiteor ingenue, omnia me elaborata & exaſciata ſatis reddere haud

haud potuiſſe, re mediocritatem meam excedente, nec librorum ſufficiente copia ſuppetente, interim non inanem operam impendiſſe mihi videbor, ſi tu Lector Benevole pro tuo candore illam æqui bonique conſulueris.

Membrum PRIMVM

Quo genuina Legis ſententia eruitur.

§. 1. Antequam ad voluntatem legis enodandam, & ad explanationes interpretum in illam adhibendas nos accingamus, legem ipſam prius in Lectoris conſpectum dare, noſtrarum partium erit; eſt autem illa

L. 16. C. de Donationibus ante Nuptias &c.

Idem A. ad Tiberianum Vicarium Hiſpaniarum.

Si a ſponſo rebus ſponſæ donatis interueniente oſculo, ante nuptias hunc vel illam mori contigerit, dimidiam partem rerum donatarum ad ſuperſtitem pertinere præcipimus, dimidiam ad defuncti, vel defunctæ hæredes, cuiuslibet gradus ſint, & quocunque iure ſucceſſerint; vt donatio ſtare (pro) parte dimidia, & reſolui pro parte dimidia videatur. Oſculo vero non interueniente, ſiue ſponſus ſiue ſponſa obierit totam infirmari donationem, & donatori ſponſo, vel hæredibus eius reſtitui. Quod ſi ſponſa interueniente, vel non interueniente oſculo donationis titulo (quod raro accidit) fuerit aliquid ſponſo largita, & ante nuptias hunc, vel illam moti contigerit: omni donatione infirmata, ad donatricem ſponſam, ſiue eius ſucceſſores donatarum rerum dominium transferatur. ACCEPT. XIII. CAL. MAII, HISPALI, NEPOTIANO ET PACATO COSS. 336.

§. 2. Eſt igitur lex noſtra ordine SEXTA ET DECIMA *Codicis Iuſtinianei de Donationibus ante nuptias*, QVINTA *vero Codicis Theodoſiani de Sponſalibus.* Conſtituerat nimirum antea Conſtantinus in *L. 2. C. Th. de Sponſal. in*

fin. vt donatio ſponſalitia, nuptiis morte non ſecutis, ad primi gradus hæredes ſc. patrem, matrem, & prioris matrimonii filios reuerteretur, his vero non exiſtentibus conualeſceret; deſtitit tamen poſtea ab illa mente Conſtantinus, atque aliud decreuit in *l. 5. C. Theod. eodem.* Tribonianus quidem *d. l. 2.* in Iuſtinianeum Codicem transtulit, at poſteriorem eius de ſponſalitia largitate portionem omiſit, amplexus poſterius Conſtantini Reſcriptum in *cit. L. 5.* ita vt in Iuſtinianea Legislatione dictam *L. 2. C. Th.* poſtea quam interpolata fuerat, nunc *decimam quintam*, & *c. L. 5.* nunc *decimam ſextam* faceret. Vid. Gothofredus *ad d. L. 5. in princ.*

§. 3. Inſcriptionem Legis noſtræ hanc indicauimus ioviano, qui præceſſerat Conſtantinus, & ille quidem, qui cognomine Magnus appellatus legitur, etenim Nepotiani Conſulatus, quo legem noſtram diuulgatam eſſe ex ſubſcriptione eius conſtat, in Conſtantini Imperium incidit vid. *Faſti Conſulares* A. I. C. Augusto, AD TIBERIANVM hic primus Vicarius Hiſpaniarum occurrit Gothofredo *ad d. L. 5.* poſt comites, ſub quibus, tempore Conſtantini, huc vsque fuerat Hiſpania, vt teſtantur ex Codice Theod. *L. 6. de ſeru. fugit. L. 3. de maternis Bonis* v. Exc. Io. Philip. Siellogt *Poſit. Iuris d. Oſculo ante nupt. §. 3.* quod vero Hieronymus *Chronico*, eodem anno quo Vicarius Hiſpaniarum fuiſſe legitur in *d. L. 5. C. Theod. & in L. 16. C. Iuſtin.* illum Præfectum Prætorio Galliarum facit, in hoc ei accedendum haud eſſe, credimus cum Gothofredo *Proſopographiæ Cod. Theod. Voc. Tiberianus*; cum enim vicariam præfecturam geſſerit Tiberianus,

quod

quod contra fidem Theodoſiani Codicis haud temere negaueris, illum prætorianam ſimul egiſſe probabile non eſt. Interim propior vero illa Gothofredi coniectura in *d. l. 5.* videri poteſt, noſtrum Tiberianum eſſe eundem, qui an. 326. & 327. comes per Africam fuiſſe dicitur in *L. 1. Cod. Th. quemadmodum munia ciuilia, l. 15. C. Th. d. decurionibus.* Plura de Tiberiano memorat Gothofr. *Proſopograph. d l.* AD VICARIVM HISPANIARVM Romanorum Imperium quatuor Præfectis Prætorio gubernandum commiſerat Conſtantinus, vno Orientem, altero Illiricum, tertio Italiam & Africam, quarto Gallias, Hiſpanias & Britann. Pancirol. *1. Notit 5.* rem plenius enarrat Zoſimus *L. 2.* de præfectis Prætorio ſunt *Tituli ff. de officio Præfecti Prætorio, Cod. Iuſtin. de Officio Præfecti Prætorio Orientis & Illyrici*, porro *de Officio Præfecti Prætorio Africæ*, horum poteſtatem, dignitatem &c. exhibent Gothofredus *Notia Dignitatum ex Codice Theodos. confecta, & huic ſubiecta* Pancirol. *d. c.* 5. & breuiter etiam Illuſtris Lynckerus *Com. ff. §. 2. de Officio Præfecti Prætor.* Quoniam igitur in quatuor orbis partes diſpertiti Præfecti Prætorio erant, vbique vero rebus præeſſe non poterant, Vicarii viri ſpectabiles, in diœceſibus plures prouincias continentibus, conſtituti fuerunt, qui propria iurisdictione inſtructi, ex mandato principis vice præfecti cognoſcerent Pancirol. *1. Not. 98.* Gothofredus *Notia Imp.* Cuiacius *Paratit. C. d. Officio Vicarii ibique Fabrottus* Perez. *d. tit.* Illuſtris Lynckerus *Com. ff.* § *4. d. Officio Præfecti Auguſtal.* Quod ſi tamen minus recte vicarii iudicent, & ſuſpecti habeantur, ad illuſtrem præfecturam tuitionem pertinere dicitur *L. un. C. ſi quacunque præ-*

tus poteſtate. Plura de Vicariis dicere, hic nihil attinet, quod plena manu de iis egerint *Dd. modo allegati.* Ceterum Præfectus Prætorio Galliarum (ita ille a ſola Gallia appellabatur, vtpote Italiæ proximiori, & opulentiori Pancirol. *2. Notit. 1.*) vti tres ſuo imperio ſubiunctas diœceſes, ita tres etiam ſub ſua diſpoſitione Vicarios habuit, Hiſpaniarum ſc. Galliarum, Britanniarum, Pancirol. 2. *Notit. 67.* de Vicario Hiſpaniarum, id ſpeciatim teſtatur *L. 61. C. Theod. d. Curſu Publico,* & ad illum noſtræ legis inſcriptio pertinet, indiculus Vicariorum Hiſpaniæ eſt apud Gothofredum *Notit. dignitatum.* Sed ad inſcriptionem plus ſatis forte, ad legem ipſam pedem nunc promouemus.

§. 4. Cum ad legem ipſam diſpiciendam progredimur, breuibus huius ſententiam primo proponemus, ſequentibus illam declaraturi prolixius. Præcipit autem Conſtantinus vt, ſi intuitu futuri matrimonii non tamen ob mortem alterutrius ſubſecutum, plene conſummati, quicquam donauerit aut SPONSVS SPONSÆ, *oſculo interueniente* dimidiam huius partem ſponſa, vel eius hæredes retineant, dimidia portio ad ſponſum eiusue hæredes reuertatur, *oſculo non interueniente* omne repeti poſſit; aut SPONSA SPONSO, nulla habita ratione oſculi, integrum ſponſæ illiusue, qui hæredes ei exſtiterint, reſtituatur Richter *dec. 147. n. 8.* Liber Baro de Lyncker *Anal. ad ff. tit. de Sponſal. p. 137.* Collatis eiusdem *Emendat. ad d. d. pag.* Excellent. Sleuogt, *Poſit. Iuris d. Oſculo ante nupt. §. 8. & 9.* Cuiacius *Parat. C. d. Donat. ante nuptias.* Gothofredus *ad d. L. 5. eod. Theod.*

§. 5.

§. 5. An & Quatenus donatio, qua ſponſus & ſponſa ſe munerantur inuicem conſiſtat, in caſu ſi fato non ſecutæ nuptiæ fuerint, heic a Conſtantino decerni fatis conſtat; ſed cum noſtra ſcire omnino referat, de quanam donatione ſtatuerit Imperator, id negotii nobis dari credimus, vt huius diſpiciamus 1.) FORMAM 2.) SVBIECTVM & 3.) demum ad ipſos progrediamur EFFECTVS L. 16. noſtra ei conceſſos. Qualem igitur donationem intelligat L. 16. merito prius in quæſtionem deducitur; etenim iam pridem recte docuit Brunneman. ad *L. 10. C. de inoffic. d. donat. ante nupt.* donationem licet ſponſos, non vnius generis, ſed aliam *ſimplicem* eſſe, quæ ex mera liberalitate collata, nec nuptias ſecuturas reſpicit, aliam *ob cauſam*, atque hanc iterum diſpertiri trifariam 1.) *in Sponſalitiam largitatem* quæ fit intuitu futuri matrimonii 2.) *Donationem propter nuptias*, quæ in ſecuritatem vel remunerationem dotis a ſponſo, aut marito conceditur 3.) *Arrham* quæ in confirmationem vinculi matrimonialis datur. Equidem legem noſtram de Sponſalitia largitate ſub conditione futurarum nuptiarum data, loqui tantummodo, veritatis exploratæ eſſe credo, &, ſi rem paulo altius repetieris, ad oculum pateſcet; Ante tempora Conſtantini omnes ſponſalitias donationes ſimplices, & ſine contemplatione futuri matrimonii factas cenſuere veteres, ideoque licet nuptiæ non ſecutæ fuerint, validas eſſe voluerunt & irreuocabiles, rem ipſe memorat Conſtantinus *L. 2. C. Th. d. Sponſalibus* quæ eſt *L. 15. C. Iuſt. de Donat. ante nupt.* vti iam *ſupra* dictum fuit, add. Gothofred. *ad d. l. 2.* Brunnem. *ad d. l. 15. ibique Molina*, Perez. *ad Tit. C. d. do-*

d. donat. ante nupt. n. 1. Excell. Sleuogt. *cit. Poſit. Iuris* §. 8. Hinc reſcripſerunt etiam Impp. Diocletianus & Maxim. in *L. 9. C. de donat. antenuptias, cum te ſponſæ filii tui quadam donaſſe confitearis: perfectam donationem reſcindi, nec noſtrò oportet reſcripto, quam tua voluntas, intiſque auctoritas fecit ratam*, porro in *L. 10. ſi filiæ tuæ ſponſus, ſi mancipium donauit, ac tu in eum iumenta liberalitatis patiuè contuliſti, nec nuptiis ſecutis, contra iuris rationem, quod dederat abſtulit: non inuicem datorum reſtitutio, ſed eius quod illicitè erogauit, repetitio competit*, & viciſſim in *L. 11. C. eod. ſi tibi res priuatæ Sponſus tuus liberalitatis cauſa tradidit, eo quod ab hoſtibus poſtea interfectus eſt, irrita donatio fieri non poteſt*, add. *L. 12. C. eod.* & Antonius Peraz. *d. l.* Veteres iuris interpretes tamen duos caſus quibus donatio eſſet reuocabilis excepiſſe deprehendimus; primo ſi expreſſè conuentum fuerit, vt, nuptiis non plene conſummatis, id, quod datum reſtitueretur *L. 7. C. eod.* deinde ſi donatio in parentes collata matrimonii prouocandi gratia *L. 8. C. eodem*, Iac. Gothofredus *cit. loco*, Perezius *ibid.* Sleuogt. *d. §. 8.* Verum hæc veterum ſententia qua liberalitas ſponſalitia pura ac ſimplex, nec ob cauſam futuri matrimonii facta cenſebatur; diſplicuit Conſtantino in *L. 2. C. Theod. Sponſalibus*, quod illa iniqua eſſet, multæ magnæque ſic temere perderentur largitiones; Gothofredus & D. Sleuogt. *citatis locis.* Conſtituit ergo in *d. L. 2.* ex aduerſo Conſtantinus, vt omnia munera a Sponſo ſiue Sponſa profecta, ſub tacita nuptiarum conditione oblata præſumerentur, indeque ſi culpa donantis deficeret matrimonii conditio, donatio quidem conſiſte-

ſiſteret, ſi tamen morte alterutrius inſecuta, non conſectæ nuptiæ fuerint, primi gradus hæredibus reſtituendæ res donatæ eſſent. Interim vltimam *d. L. 2.* de morte deſponſatorum partem, ita temperauit in *L. 5. C. Th. d. Sponſal.* non multo poſt idem Conſtantinus, vt, eo caſu, quo mors præpediuiſſet matrimonium, ſola ſponſa ſiue eius hæredes cuiuscunque gradus, ſi oſculum interueniſſet, dimidiam rerum donatarum portionem retinerent, & hæc *L. 5.* eſt. ipſa *Lex noſtra decima & ſexta* Vid. §. *2. ſupra.* †

† Num ergo *d. L. 2. Cod. Th.* ſiue *L. 15. C. Inſt.* deroget *L. 9. 10. 11. C. d. Donat. ante nupt.* quæritur? Vtique Conſtantinum Diocletiani & Maxim. Reſcripta correxiſſe, dubitandum non eſt, ſed quomodo dictæ Conſtitutiones, poſteaquam in Iuſtinianeum codicem translatæ, nunc ſe habeant inuicem, id non adeo expeditum videri poteſt. Sane, qui ſeriem temporis in qua Impp. reſcripſerunt, in Iuſtinianeo codice non attendendam, ſed omnia pro lege, & quidem vna eademque habenda eſſe contendunt, vt Gochaus. *p. 2. periculo acad. 1. §. 2.* Lauterb. *Com ff. §. 3. Prolegomenorum*, quod coniunctim Codici inſertæ conſtitutionis fuerint, & ex eodem tempore vim Legis acceperint, *Conſt. Cordi nobis §. 3. ſeqq. d. Emend. Cod.* illi hic ſpiſſum opus habent & operoſum; Mihi quidem ex doctrina Lynckeriana ita videtur dicendum, in Iuſtinianea legislatione non dari derogationem, nec prius aut poſterius quoad vim derogandi, dari tamen ius actu tale, vt ſcholæ loquuntur, cum recenſione eius quod ante obtinuit, ſic igitur priores *Leges 9. 10. 11* non referuntur ad eſſe legis, ſed ſolum hiſtorice, indeque poſterior *L. 15.* vnice vim legis habere cenſendum eſt. Vid. Per Illuſtris Lynckerus *in Anal. & Comment. ad ff. d. Origine Iuris.* quapropter recte hactenus aſſeruit ad c. *L. 15.* Sichardus, *dictam L. 15.* vtpote nouam priorum Imperatorum corrigere leges, ſed quod mos pergit illas etiam de donatione ante ſponſalia facta, quæ pura & irreuocabilis recte habetur, intelligi poſſe, id vero procul, cum dd. LL. de donationibus a ſponſo ideoque ſponſalibus contractis, factis, aperte ſanciant.

§. 6. Ex ſucceſſione iurium igitur, quam modo commemorauimus ſatis opinor patebit, id quod antea

dixeram, ſtatuere Conſtantinum in hac L. 16. de largitate ſiue donatione ſponſalitia intuitu matrimonii data qualis non illa ſolum eſt, quæ expreſſam futurarum nuptiarum conditionem continet, ſed omnis etiam iuris præſumtione cenſetur, quæ facta ſimpliciter, nec nominatim illam adiectam conditionem habet, ſæpius *cit.* L. 2. *C. Th.* & *15. C.* Iuſtin. Hinc deferendus eſt Antonius Faber quando *Cod. Sabaudio* L. *5. t. 1. def. 2.* veſtes ſponſæ, promerendæ aut teſtificandæ beneuolentiæ gratia datas, nunquam reſtituendas eſſe contendit, quod pure & ſimpliciter donatæ intelligantur, contra quam rectius Excell. Sleuogt. noſter *cit. Poſit. Iuris* §. *13.* contrarium ſuſtinet. Etenim certiſſimum eſt, poſt Conſtantini Legislationem, quamquam ſimpliciter quicquam donaueris ſponſæ tamen ſub tacita futuri matrimonii conditione donatum præſumi per *d. L. 15.* nec hodie in vim puræ donationis aliter ſuſtineri, quam ſi palam fiat, vel ex depoſitione teſtium, vel ex confeſſione partium, vel ex donationis tabulis, non eſſe rem datam ſpe atque intuitu ſecuturi matrimonii Brunnem. *ad L. 16. n. 6. C. de Donat. ante nuptias*, D. Sleuogt. *d. loco.*

§. *7.* Reliquæ donationes quæ inter deſponſatos fiunt, ad Conſtantini reſcriptum in *d. L. 16.* haud quaquam pertinent, quamuis Sponſalitiam Largitatem, Donationem puram, Propter nuptias, & Arhas ſæpius heic commiſceri videas, optime notante Illuſtri Lynckero *Anal. ad ff. d. R. N. p. 273.* Etenim Donatio pura ac ſimplex quæ ex mera liberalitate non intuitu nuptiarum datur, non ſolum propriam atque a ſponſalitia donatione diſtinctam naturam habet, ſed alios ac diuerſos etiam

iuris

iuris effectus, quippe quod confeſtim vt alia Donatio pure facta, iure conſiſtat. *L. 27. ff. d. Donat. inter Virum & Vxor. C. I. A. tit. ff. d. Sponſal.* §. *11.* ſecus ac ſponſalitia donatio per *d. l. 15. & 16.* Obloqui quidem nobis & (quo nomine ipſe notauerat Dd.) cum ſponſalitia largitate puram donationem confundere, videri poterat Illuſtris Lynckerus *allegato loco*, quod affectione ſimplici non reſpectu futuri matrimonii donata, poſſe repeti per *d. l. 16.* doceat, ſed errorem ab ipſo Lynckero *in Emend. Anal. ad d. pag.* agnitum, & opportune emendatum deprehendi, qui quidem facile eueniri potuit in opere ex diſcurſibus arrepto, quod non diſſimulat etiam Illuſtris autor *Praf. Anal.* Porro Donatio propter nuptias a noſtra eſt remouenda Lege, videlicet illa in compenſationem dotis conceditur, ſponſalitia donatio dotem nihil reſpicit Excell. Io. Philippus Sleuogt. *ſæpius laudatis Poſitionibus Iuris de Oſculo ante nupt. aph. 7.* Et quamuis B. Lauterbach. *Comp. ff. d. Sponſ. p. 438. lit. D.* ad donationem propter nuptias deciſionem *d. l. 16.* referat, re ipſa tamen a nobis haud diſſentit, cum ſponſalitiam largitatem ille propter nuptias donationem nominet, improprie autem & abuſiue prout recte obſeruauit Clariſſ. Ludouici *Suplem. ad Lauterb. Comp. ad dict. p. 438.* Nec ad arrhas *d. l. 16.* pertinere credendum eſt, quoniam hæc in contracti matrimonii pignus datur, & nuptiis morte non ſecutis aliter ac ſponſalitia largitas reſtituenda eſt, per textum expreſſum in *L. 3. C. de Sponſalibus* L. B. de Lynck. *Emend. Anal. d. l.* hinc falſus omnino cum ſuis, quos bona fide ſequitur, & adducit, ante ſignanis, Georg. Gœzius *Philologem. de Oſculis Art. 3. § 8. Vnde etiam*

inquiens, *ex Imperatoris Conſtantini mandato conſtitutum, vt mortuo ſponſo dimidiam partem eius, quod ſibi* arrhabonis loco ſeu propter nuptias *donatum eſt, retineat, ſi ſponſus eam oſculatus fuerit, oſculo vero non intercedente ſine ſponſus ſine ſponſa obierit totam infirmari donationem & donatori ſponſo ſine eius haeredibus reſtitui.* Hactenus Gœzius. Quodſi ſponſalitiam largitatem ſubſtituas recta eſt deciſio & Imperatoris ſententia genuina, ſi arrham intelligas manifeſto obſtabit *d. l. 3.* Quapropter quod in eundem errorem ſe abduci etiam paſſi fuerint Antonius Gubertus Coſtanus *de ſponſalibus p. mihi 31. & 33. in ſummariis.* Atque Carpzouius *P. 3. c. 19. def. vlt. n. 61* deque reſtitutione arrharum in *d. l. 16.* agi exiſtiment, illud merito miramur. Ex his igitur quæ dicta hactenus, ſatis credo eluceſcet ſponſalitiæ largitatis forma, & natura quam vti oportebat, ſtrictim ſaltem perſecuti ſumus, plenius illam, ac docta opera exſequuntur Burchardus Bardili *Diſſertatione de Largitate Sponſalitia*, Fridericus Wolpman, *de Sponſalitia Donatione*, Adu. Petrus Müllerus *Additionibus ad Siquis Sponſae ff. Ex 38. n. 32. lit. 6.*

§. 8. Nunc paucis etiam de huius donationis SVBIECTO diſpiciendum, quod conſtituunt deſponſati, atque parentes vtrorumque, liberalitatem exercentes; Donant nimirum hæc ſponſalitia munera tam ſponſus *L. 1. L. 2. L. 3. 4. 6. 15. 16. C. de Donat. ante nuptias*, eiusque Parentes *L. 14. & 15. eodem*, Sponſæ *L. 1. 4. 6. 13. 14. 15. 16. C. eod.* eiusque Parentibus *L. 2. L. 15. d. 1.* quam Sponſa *d. L. 15. & 16.* eiusque Parentes *d. l. 15. verb. conſenſu parentum*, Sponſo eiusque Parentibus *d. L. 15. & 16. C. L. A. §. 11. ff.*

de

de Sponſalibus. Hinc ad illud quod a nonnullis quæſitum fuit, an dotata a parentibus intuitu futuri matrimonii data *ad L. 15.* præſumantur, facilis & expedita reſponſio eſt, etenim ſicuti ante Conſtantini ætatem omnis donatio a ſponſo ſponſa ſiue eorum parentibus in ſponſam ſponſum ſiue horum parentes collata pura & irreuocabilis cenſebatur, ita poſt Conſtantini tempora hodie omnia munera ab iisdem profecta, tacitam futurarum nuptiarum conditionem continere præſumuntur, nil enim circa ſubiectum huius donationis mutauit Imperator, ſed quam diximus præſumtionem ſponſalitiæ largitati ſaltem indidit; Quid? quod *d. L. 15.* in parentibus donantibus quoque tacitam matrimonii conditionem vniuerſe præſumere, ſatis innuunt Conſtantini verba in *d. l. 15. ſi conſenſu parentum tanquam futuri matrimonii cauſa aliquid ſibi largiantur*, prout optime aduertit Colleg. Juris Argentoratenſe *d. l.* Quapropter eſt vera ſatis ac recta communis interpretum concluſio apud Sichardum *ad d. L. 15. n. 7.* quod licet *Lex. 15.* correctoria ſit, ideoque non debeat extendi vltra eum caſum in quo eſt ſcripta tamen ad parentes etiam extendi debeat, Add. Neuenhan *Tract. d. Jure Viduarum Sect. 10. Lit. d. p. mihi 130. ibique* Scipio Gentilis *Lib. 4. de Donat. inter virum & vxorem c. 10. in fin.* Io. Petrus Surdus *Dec. 166.* Menoch *3. Præſ. 26. Cons. 801. n. 21.* Petrus Barboſa *in L. 34. ff. de Solut. Matrim.* Ceterum illud diffitendum non eſt, illam donationem demum cenſeri ſponſalitiam, atque intuitu nuptiarum datam præſumi, quæ a ſponſo ſponſaue profecta, ideoque ſponſalibus celebratis oblata eſt; Quare ſi ante ſponſalia contracta data munera fuerunt, donatio

pura habebitur, nec reuocabilis, de ſponſo enim & ſponſo donante ſermo eſt in *cit. L. ipſo* Sichard. *citato loco num. 5.* Excellent. Sleuogt. *d. Poſitionibus Iuris* §. 20. Bruneman *ad L. 10. C. b.* Interim quod idem Sichardus vlterius *d. l. n. 10.* inculcat poſt concubitum data in ſponſalitiam largitatem non incidere, nec haberi valida, id notiſſimi iuris eſt, vid. *L. 4. L. 6. b. & tot. tit. ff. de Donat. inter Virum & Vxorem.*

§. 9. His igitur de natura ſponſalitiæ largitionis eiusque ſubiecto præmiſſis, progredimur ad ipſius iuris EFFECTVS, quos tamen non omnimodo, ſed ex parte ſaltem proponit *Lex noſtra*, nobis ſufficere poterat illos tantum exhibere qui in *d. L. 16.* continentur, quod circa hanc explicandam noſtra ſolummodo tractatio verſetur, verum cum & eorundem plenior cognitio multum lucis noſtræ legi affundat, omnes generatim exſequi e re viſum fuit. Separandi autem primo loco ſunt caſus: Aut PLENE MATRIMONIUM CONSUMMATUM fuit, aut NON CONSUMMATUM fuit idque vel *alterutrius* vel *vtriusque diſſenſu*, vel *caſu fortuito.*

§. 10. Quando PLENE CONSUMMATUM MATRIMONIUM eſt, & ſecutæ nuptiæ fuerunt, eius manere munera cui data ſunt in confeſſo eſt apud interpretes, Sichardus *add. L. 15. n. 9. verb. alias nil repeti poſſet*, Meyer *C. I. A. d. l.* Excellentiſſimus Sleuogt, *cit. loco* §. 21. idque ratio etiam probat, cum enim donatio ſponſalitia vel expreſſam vel tacitam futurarum nuptiarum contineat conditionem, hac impleta donationem ſuſtineri ſequitur; reſtringendum tamen hoc eſſe, cum Müllero ac Meyero ex-

exiſtimamus, niſi forte conuentum fuerit, vt ſi qua ſors extitiſſet contra voluntatem eius & matrimonium diſtraxiſſet, quæ data ſunt, apud eum qui dediſſet, hæredemus eius remanerent, tum enim iure eadem poſtulari poſſe reſcripſerunt Imperatores *in L. 7. C. d. Donat. ante nupt.* Huc collimat etiam *L. 12. verb. ſine vlla repetendi Lege C. eodem.*

§. II. Quid ergo NUPTIIS NON CONFECTIS iuris? Quodſi *diſſenſu alterutrius* non confectum matrimonium fuerit diſtinctione rem componendam eſſe arbitramur; etenim aut diſſenſu temerario ſiue illegitimo aut iuſto & legitimo alterutri deſponſatorum fecit repudium (ſiue ſponſus ſiue ſponſa fecerit repudium perinde eſt, cum quod de ſponſo ſanciuit Conſtantinus illud ſimiliter in ſponſa obſeruari iubeat in *d. L. 15.*) ſi temere vnus deſponſatorum fecit diſcidium, quæ data ſunt amitti, quæ accepta reſtitui, quæ promiſſa adhuc transferri, mandantur *d. L. 15.* Sin legitime iuſteque pœnituit alterum deſponſatorum, multum intereſſe credimus, num iuſta pœnitentis cauſa repudiatam faciat culpæ ream v. c. *cum ſponſus ob impudicam vitæ conſuetudinem ſponſæ nuntium miſit*, nec ne e. g. *ſi ob ſuperuenientem deformitatem ſponſæ maximam pœniteat ſponſum.* Priori caſu ſponſus quæ donauit repetet, quæ accepit retinebit, quæ ei promiſſa fuerunt, iure poſtulabit per *d. l. 15.* quando quidem ſponſa priori caſu, cauſam non contrahendi matrimonii dedit, v. *d. l. 15.* perque illam ſtetit quominus impleri conditio nuptiarum potuerit, vid. *L. 11. d. Condit. inſtitut.* Poſteriori caſu ſponſus quidem quæ ipſe dedit recuperabit Condictione Cauſa data cauſa non ſecuta ob iuſtam

ſuam

ſtiam dantis ſc. pœnitentiam, ut vero quæ ipſi largitaſ ſa fuit hæc reſtitui par erit, nec condictio cauſa data cauſa non ſecuta ob ceſſationem accipientis quia ille noluit, ſponſæ erit deneganda per *L. 8. C. de Cond. cauſa data cauſa non ſecuta.* Interim tamen, quod ſponſo pœnitenti ex iuſtis repudii cauſis (quæ tamen nullæ culpæ ſponſam arguunt) rerum datarum repetionem competere diximus, illud dubium facit *ſæpius cit. L. 2. C. Th. d. ſponſ.* quia ad diſcidii autorem ſolum, non ad iuſtas pœnitentiæ cauſas reſpici Conſtantinus iubet, verba *d. l.* huc tranſcripſiſſe iuuabit. *Etenim hæc ſimiliter obſeruari oportet*, ait Imp. *nullis cauſis vlterius requirendis, ne forte mores aut origo dicatur, vel aliud quicquam opponatur; quod ſibi quisquam non conuenire exiſtimat, cum longe ante quam ſponſalia contrahantur hæc cuncta proſpici debuerint. Sola igitur indagetur animi voluntas & immutata animi ſententia ad reſtitutionem ſeu repetitionem rerum donatarum ſufficiat, cum vniuerſis cautionibus pulſis nil amplius conſtare debet, quam vnum apparere qui ſibi matrimonium diſſoluere diſſidet.* Verum frustra ad *l. 2.* prouocaueris, cum ad Codicem Theodoſianum non ratione ſenſus primigenii ſed ex mente Iuſtiniani hodie reſpiciendum ſit L. B. de Lyncker *Comm. ff. §. 4. d. O. I.* Vetuit quidem *d. L. 2.* Conſtantinus ne mutatæ voluntatis cauſæ attenderentur, hac ratione repudiorum temeritati ſeu ſponſalium diſcuſſioni obuiam iturus, verum enim vero ab illa Conſtantini ſententia diſceſſum poſtea fuiſſe, non temere negaueris, cum illas diſſentiendi cauſas quas longe ante proſpici debuiſſe quam ſponſalia contrahantur, contendit Conſtantinus,

has

has nihilominus attendi voluerit Iustinianus probata Constitutione Leonis, & Anthemii in *L. 5. C. Just. de Sponsa.* quemadmodum etiam annotauit Jac. Gothofredus *ad d. L. 2.* Hinc quando in *L. 15. C. de Donat. ante nupt.* dicitur, *vel parentes eius filium sortiri noluerit, vxorem* rectissime glossa subintelligit. verb. *sine causa.* Illud quidem iuxta æstimatur, siue desponsati, siue eorum parentes causam non contrahendi matrimonii dederint per tradita *d. L. 15.* Sichardus *d. l. n. 13.* Ceterum actiones qua peti & repeti res donatæ possunt, condictionem & rei vindicationem vtilem prodidit Imp. de quibus tu vide sis plenius Sichard. *cit. loc. n. 10.*

§. 12. Cum *vtriusque dissensu* dirimuntur sponsalia, & (vt scite loquitur Vlpianus in *L. 32. §. 10. ff. de Donat. inter Virum & Vxor.)* bona gratia non cum animi sui ira & offensa discedunt partes, vtrum retineatur, sponsalitia largitio, nec ne, iam quæritur. Equidem quoniam non adimpleta conditio nuptiarum deprehenditur, sponsalitiam largitatem quæ illam semper, vel expresse, vel tacite adiectam conditionem habet, quoque restitui par est, vt hinc rectissime concludat Excellentissimus Sleuogtius Iure Consultus in hac Salana consummatissimus Patronus etiam noster Optimus Maximus (cuius quidem præceptis atque solidiori institutione formari cupimus omnes, quotquot Themidi nostram nauamus operam, neque tamen, illud dari nobis potuit hactenus, ob grauiora quibus Vir indefessæ operæ districtus est Scabinatus negotia) *sepius laudatis Positionibus Iuris de Osculo ante Nuptias §. 19.* si mutua voluntate dissoluantur Sponsalia non esse quod sponsa, (ea-

dem ratio in sponso) ex facilitate sua lucrum adhuc quærat, cui imputari potest, quod vltro dimiserit hominem sibi semel obstrictum. Eo recidunt etiam quæ ad *Tit. C. d. Donat. ante nupt.* inculcat A. Perezius *n. 10.* quod, si per vtrumque stet, quia vterque consentit, quominus sequantur nuptiæ donata restitui oporteat. Optime hoc confirmat illud, quod in simili Sopatræ quondam rescripserunt Impp. Diocletianus & Maximianus in *L. 14. C. de Transactionibus: Si diuersa pars contra placitum agere nititur, æquitatis ratio suadet cum & tu hoc desideras causam ex integro agi.* Consentit Scipio Gentilis *de Donat. inter virum vxorem L. 4. c. 10. p. mihi 445. in fin.*

§. 13. Efficacitatem Donationis Sponsalitiæ, in casibus quando vel alteruter sibi cum altero nihil post hac futurum declarauit, vel vterque desponsatorum mutuo sibi remisit repudium ea qua par est breuitate dispeximus hactenus, nunc postremo illud expediendum restat, an? & quatenus? illa sustineatur, matrimonii consummatione *fato casura* præpedita. Decissionem ex Lege nostra *Decima & Sexta* repetendam esse, agnoscunt omnes, vid. Excell. Sleuogt. *cit. Posit. Iuris de Osculo ante nupt. d. §. 19.* Petrus Mullerus *Addit. ad Struuii Syntagma Exercit. 30. th. 32. lit. d. n. 16.* Sichardus *d. l. n. 13.* Brunnem. *ad d. L. 16. n. 1.* Etenim cum morte irritæ nuptiæ fiunt (de qua agit Constantini Sanctio) illud fato adscribendum est; à specie autem ad genus hic argumentari, quid vetat? Scipio Gentilis *d. L. 4. c. 11. ibique Cynus.* Interim quod Clarissimus Ludouici in Fridriciana Antecessor celeberrimus. *V. P. ff. d. Sponsi. Distinct. 4.* matrimonio non subsequente *Legi 18.* locum facit illud licet non loquatur distincte satis, ad casum quo fato nuptiæ impeditæ sunt, omnino restringi, nec generatim accipi debet, cum genera impedimentorum esse attendenda ex superioribus abunde constet. Huius igitur Legis pro virili exponendæ, partes impræsentiarum excepimus; Verum cum iam multa præoccupata a nobis sint, quæ cum Lectoris tædio prolixius repeti non debent, ne quid iniucunditatis habeat commentatio, satietati auriumanimorumque occurrendum existimauimus. Recitabimusquippe Legis verba, interiecta saltem vbi opus erit paraphrasi interlineari eâque breuiori.

§. 14. SI A SPONSO). Hic primo loco de Sponso Sponsæ donante statuit imperator postea de sponsa sponso largiente tractat, etenim iuris diuersate inter illos inducta, sub sponso sponsa comprehendi amplius non poterat, sed de vtroque separatim agere erat necesse, illud tamen perinde est siue a sponsa siue eius parentibus profecta sit sponsalitia largitas, cum horum donatio etiam sponsalitia & respectu secuturi coniugii facta præsumatur, prout *supra §. 8.* probatum dedimus. REBVS) quæcunque illæ fuerint perinde est, frustra enim a Fabro vestes eximi & pure donatas existimari iam antea euicimus, illud tamen ex iure notissimo notabis rei immobilis a minore donatæ sponsaliorum nomine non tranfire dominium nisi magistratus accedat decretum per *L. 3. C. de Prædiis & aliis rebus minorum sine decreto non alienandis, Coll. Iuris Argentor. d. l.* quod quidem si accesserit, valide res immobilis sponsaliorum nomine dabi-

tur nec obſtabit amplius Senatus conſulti autoritas quod de non alienandis prædiis pupillorum vel adoleſcentium, niſi prætore autore, factum eſt, *arg. d. L. 8.* Quare vtique improbanda eſt illa Georgii Obrechti ſententia, qua aſſeritur *Oeconomia Donationis Diſp. 5. n. 14.* ſponſalitiæ largitatis materiam eſſe ſolum res mobiles, non etiam immobiles, quod ſponſalitia munera plerumque de manu in manum tradi ſoleant. Etenim quicquid de manu in manum tradi nequit, illud intuitu nuptiarum dari non poſſe, nequaquam ſequitur, potius generatim Leges cuicunque rei ſimpliciter donatæ tacitam conditionem nuptiarum ineſſe præſumunt. SPONSÆ,) quid ſi non ſponſæ ſed Parentibus eius quicquam largitus fuerit ſponſus, num idem obtinebit? Quæſtio ab Imperatore deciſa non eſt, nec ex interpretibus vllus, quantum quidem ſcio, illam ſibi diſcutiendam propoſuit. Interim cui genuina legis ratio cognita eſt illi etiam deciſio huius quæſtionis non poteſt non eſſe explorata. Quod ſi vera ſunt quæ tradunt Sichardus *ad d. L. 16. n. 8.* poſtque illum Cl. Pagenſtecherus *Tr. de Iure Virginum §. 13.* partem muneris dimidiam referendæ gratiæ cauſa, oſculo a ſponſa factæ, huic concedi, non parentes, ſi quod ipſis datum a ſponſo munus fuit, huius partem dimidiam retinebunt, cum ſola ſponſa oſculo gratiam fecerit, parentes nullam, ideoque illi ſoli ſponſus dono, ſi quod ei dedit, oſculum remuneratus cenſeri debeat. Quodſi tamen doctrinam Excell. Sleuogt. *in Poſit. Iur. de Oſculo ante nuptias §. 17.* ſequimur: Oſculo conſenſum coniugalem declarari enixius, ideoque nuptias prope ſecutas videri, vtique ſponſæ parentibus dimidia ſponſalitiæ liberalitatis portio, ipſis a ſponſo conceſſa hoc quidem caſu adiudicanda eſt. Namque ſiue ſponſæ ſiue parentibus eius dederit munera ſponſus iuxta æſtimari & nuptiarum nomine data cenſeri multoties diximus, hinc quando plene conſummatum eſt matrimonium totam parentes lucrari donationem minime ambigunt interpretes, quia ſic nuptiarum conditio quam ſponſalitia largitas expreſſe vel tacite continebat, eſt omnimodo adimpleta, cur ergo nec hoc caſu dimidiam parentes partem lucrabuntur, coniugali conſenſu per oſculum plenius declarato. Cui quidem etiam nos adſtipulamur hactenus, interim quod iuxta D. Sleuogtii doctrinam oſculum proxime conſenſum coniugalem teſtari, aſſeritur, id nobis aliter viſum, cum oſculo ex Romanorum ſententia delibata pudicitia fuerit, & pudicitia delibata demum proxime in conſenſus coniugalis argumentum accipi debeat, ſed de hoc poſtea & ſequenti membro erit prolixius agendi locus, DONATIS) non ſine vlla repetendi lege, nec propter nptias, nec in pignus ſponſaliorum ſicut arrhæ, ſed vel nominatim ſub conditione futuri matrimonii, vel ſimpliciter, etenim ſimplici donationi etiam conditio ſi nuptiæ ſequantur, tacite ineſſe præſumitur. OSCVLO INTERVENIENTE) quod quando, & quomodo interueniſſe debeat ſolicite disquirunt interpretes. Plerique illud intelligunt oſculum quod inter ſponſaliorum ſolennia adhiberi conſueuit. Hinc Neuenhan. *Tr. de Iuribus Viduit cit. loc. quod pudicitiam ſponſa*, ait *oſculo pralibari veteres credidere, id de oſculo ſolenni ſtatim fide matrimonii vtrinque facta, præſentibus agnatis dato accipiendum putamus.* Soli oſculo ſponſalitio vim illam

etiam tribuunt Gregorius Tholoſanus *Syntagm. Iuris V-niuerſ. L. 8. cap. 8. n. 2. & 3.* & Iac. Gothofredus *ad tit. L. 5. Cod. Th.* Illud quidem diffitendum non eſt oſculum inter ſponſaliorum ſolennia adhiberi ſueuiſſe (quamuis nec illud ſemper obſeruatum eſſe vel ex eo conſtet, quod diſtinxerit in *L. 18.* Imperator utrum oſculum interuenerit nec ne) hoc enim diſertis verbis probat Alexii Comneni Conſtitutio tertia de Sponſalibus inter Conſtitutiones Imperatorias relata, *qua ſponſalia decantandis ſacris precibus illorumque ſolennibus (verba videlicet*, gratoque deſponſatis oſculo) *obſervandis perficienda jubentur*, interim tamen Conſtantinum de illo oſculo ſolenni ſenſiſſe nullo indicio patet, nec a Iacobo Gothofredo nobis perſuaderi patimur, cui vel ſola Slevogtii nobiſcum conſentientis ſatis facere ratio poterat, non agi in Conſtantini lege de ſponſalibus vt celebrantur, ſed de donatione inter ſponſum ac ſponſam nullo addito temporis diſcrimine Conferatur Excell. Sleuogt. *ad. Poſit. aph. 10.* Illud ſatis certum, neceſſe eſſe, vt aut ipſis ſponſalibus acceſſerint oſcula, aut ſponſalia ſubſecuta fuerint; nimirum ut oſculum interuenerit poſteaquam *deſponſo* res donatæ *ſponſæ* ſunt requirit Conſtantinus, ergo ut poſt ſponſalia contracta de ſponſati ſe diſuadentur inuicem oportet Barboſa *in Rubr. ff. d. ſolut. Matrim. p. 2. n. 113.* Clariſſ. Ludouici *cit. diſt. 4.* Siccine ergo dixeris exigi etiam, ut poſt donationem demum in amplexus effuſi fuerint ſponſus & ſponſa per eadem legis noſtræ verba *rebus donatis* (i. e poſtquam donatæ res ſunt) *oſculo interueniente*, rectiſſime hoc negant *Dd. ante allegati*, & cumprimis rem pro more ſuo ſolide expedit D. Sleuogt. *d. §. 20.* ſc. poſt donationem oſcula

præ-

ræciſe interueniſſe non debent, quoniam illorum inter-
retatio non ex donatione pendet, ſed oſcula donationi
otius conciliant robur quocunque poſt ſponſalia tempo-
e data fuerint. Illud etiam in quæſtionem deduxerunt
nterpretes utrum oſculum ſponſi an ſponſæ gratia debeat
teruenisſe, planeſi non ſui ſed ſponſæ cauſæ (ſc. ad illam
orbo colluctantem recreandam) oſculum dederit ſpon-
s, dimidiam donationis partem non retinere ſponſam,
ntendunt Brunnem. *ad d. L. 16. n. 4.* & Vincent de Fran-
is *Dec. 503. n. 19. & ſeqq.* Fundamentum deciſionis ex
tione legis ſuisque hypotheſibus repetunt, ſponſam ideo
unt lucrari dimidiam ante nuptias donationis partem
od ei ſponſus oſculum tuliſſe & abſtuliſſe præſumatur,
onſum vero retinere nihil quod ei ſponſa oſculum ferre,
carpere non cenſeatur ob ſequioris ſexus pudorem,
eoque in ejus non ſponſæ gratiam oſculum datum eſſe,
mper credatur. Gothofredus *ad d. L. 5. C. Th.* Quapro-
er ſi ex aduerſo probari poſſit oſculum ſponſi interue-
ſe cauſſa, ut in ſuperiori caſu, tum nec ſponſæ dimi-
nidiam portionem concedendam dicunt. Verum
im vero illud merito ſubtile nimium videatur cum
cell. Sleuogt *dd. Poſit. aph. 22.* quoniam oſculum ſa-
eſt tanquam ſponſo dediſſe ; nec in ſcrupulo-
& inani iſthac ſubtilitate conuellenda hic occupari
tius eſt neceſſe, quoniam ubi ad rationem legis eruen-
n progreſſi fuerimus omnia eluceſcent longe cla-
ra. Illud meliori jure admittimus quod *d. l. D.* Sle-
gt. ſubjicit non ſponſæ jus putari quæſitum, quando,
ſteaquam ad ludum animique remiſſionem deſcende-
t, ſicut fieri aſſolet, cum ſequiori ſexu juuenes, ſponſo

impe-

imperatur ut, ad pignoris nexum diſſoluendum das Pfand einzulöſen/ ſponſæ figat ſuaue oſculum, quando quidem hic omnimodo ceſſat legis ratio. Ceterum illud adhuc annotare liceat quod oſculum puellæ nondum nubili ſiue duodecim annis minori datum inane habeatur, atque ea propter deciſio legis noſtræ ad illas non quadret D. Sleuogt *d. l.* Brunneman. *cit. n. 4. ibique Vintenius de Franchis.* Quæ ulterius circa oſcula moneri poterant illa ſequenti membro reſeruauimus omnia ANTE NUPTIAS) ante matrimonium plene conſummatum vel mortuus ſponſus ſponſaue ſit neceſſe eſt, namque ſi nuptiis confectis alteruter diem oberit, donatio uniuerſa conſiſtit, ſiue in ſponſum ſiue in ſponſam collata reperiatur HVNC) i. e. Sponſum VEL ILLAM) Sponſam ſcilicet MORI CONTIGERIT) Mors fati ſpecies eſt, quam pro genere omniq; caſu collocatam eſſe ſupra diximus conf. § *13. Membri primi* Quapropter cum per Principem aliumue potentiorem impeditur conjugium, nil obſtat quominus idem exiſtimemus quod de morte hac *L. 16.* ſtatuit Conſtantinus Scipio Gentilis *cit. cap. 11.* Joan. Sichardus *ad L. 16. n. 6.* DIMIDIAM PARTEM RERVM DONATARVM. Cur ergo non tota donatio ad ſponſam ejusue hæredes pertinebit? ratio amplius poteſt latere neminem videlicet quoniam nuptiæ prorſus ſecutæ non ſunt. Cur ergo dimidiam non tertiam ſiue quartam lucratur partem? Sane ex illa diſparitatis ratione quam Sichardus eſt Pageriſtecherus aſſignant non apparet cur dimidia ſponſæ cedat portio, neque ex iis quæ erudite diſſeruit Excellent. Sleuogt. *dd. Poſit. apb. 17.* illud aſſequi nobis licuit, potius ex hujus traditis ante nuptias donatio vniuerſa ſponſæ videbatur

tur adjudicanda; cum enim oſculo utrumque deſpon-
orum conſenſum conjugalem enixe declaraſſe dixerit
ſolus conſenſus nuptias faciat, ſponſalitia donatio
nnimodo conſiſtere debebat. Majori probabilitate
rcutiunt animum quæ Gothofredus ad *d. L. 5. Cod. Th.*
bet, nimirum oſculo pro parte quaſi dimidia delibatam
edi ſponſæ pudicitiam, inde vero illud effici vt dimi-
am donationis partem ea retineat, alias ſi concubitus ac-
ſiſſet totam lucratura. Verum nec deſunt quæ hiſce re-
ni poterunt, cum ad ſecundum Membrum acceſſerimus.
uapropter omnino de alia ratione cogitandum erat,
iam tamen obtrudimus nemini, quisque ei ex ſuo judi-
o vel demat, vel addat fidem; Exiſtimamus igitur dum
onſa ſuam oſculo delibari patitur pudicitiam, illam e-
dentiſſime præſentem in nuptias declaraſſe conſenſum,
iem quidem ſponſus dum ſuam pudicitiam viciſſim
on tradidit delibandam, non æque declarauit, non pote-
t enim oſculo ſponſi diminui pudicitia, ſcilicet quam
oſculorum ſinceritate nequaquam veteres conſiſtere
ediderunt, quandoquidem igitur ex ſua parte condi-
onem nuptiarum ſponſa adimpleuit, ut dimidiam mu-
eris partem retineret omnino par erat, apud quam al-
ra dimidia portio etiam remanſiſſet, ſi ſponſus conſen-
mutuo reſpondiſſet, ſed hæc poſtea exſequemur fu-
us. AD SVPERSTITEM PERTINERE PRÆCIPIMVS,
IMIDIAM AD DEFVNCTI VEL DEFVNCTAE
IAEREDES,) cum igitur in ſponſam a ſponſo eſt colla-
ſponſalitia liberalitas, dimidiam partem ſponſa reti-
et, vel ſi mortua fuerit ad hæredes transmittit, altera
ars dimidia ad ſponſi hæredes reuertitur, vel ad ipſum

ponſum ſi ſponſa illum reliquerit ſuperſtitem; quodſi trique ſimul erepti rebus humanis ſunt, vtrorumque heredes æquis partibus munera ſponſalitia diuidunt. Verum cur ad ſponſæ hæredes etiam, ſi illa e vita exceſſerit, dimidiam partem æque pertinere Cæſar præcipit? Vtique pudicitia ſponſæ oſculo diminuta ſola & vera quidem cenſeri ratio debet. Neque vero neſcio quod plane iniquum videatur Magnifico Sleuogt. *dd. Poſit. apb.* 6. vtcumque ſponſæ aliquid indulſerint leges, idem priuilegium ad hæredes porrigi, quorum videlicet ne minimum quidem ex oſculis defunctæ diſpendium: neque eo ſecius tamen communior ſententia adhuc ſuſtineri poſſe nobis viſa eſt. Plane nullam crediderim hic ſubeſſe iniquitatis rationem, cum enim oſculo ſuam ſponſa patitur deliberi pudicitiam, conſenſum exprimit conjugalem, ac nuptiæ quoad illam ſecutæ putantur, hinc ex illo tempore quo data inuicem fuerunt oſcula, dimidiam donationis partem ſibi propriam habet, quam poſteaquam ad plures ſponſa abiit, vt hæredes ſucceſſionis jure caperent, omnino fas & æquum poſtulabat. (VIVSLIBET GRADVS SINT,) Ad hæredes ſponſi vel ſponſæ cuiuslibet gradus fuerint partem dimidiam pertinere voluit Conſtantinus. Edixerat ille quidem antea in *L.* 1. *Cod. Th. de Sponſ.* vt donatore mortuo res donatæ, ſine oſculi diſtinctione hæredibus reſtituerentur, non quibusuis tamen, ſed parentibus ſolis filiisque, ſi qui ex priori extiterint coniugio, ita nimirum ibi cautum legimus: *Eo etiam qui donauerat ante nuptias mortuo mox infirmari donationem congruum duximus, & ad eius hæredes ſine aliqua difficultate detrahi res donatas. Quod benefici-*

cium vsque ad personam patris ac matris, filiorum etiam, qui de priori matrimonio fuerint, stare decernimus, quocunque modo ex his persona aliqua defuncto succesſe-t. Quodſi ex his nulla persona defuncti bares erit, sed e reliquis gradibus quisquam succedat, donationes con-enit, etiam non insecutis ex causa mortis nuptiis consa-scere, quoniam illis tantum personis credimus consulen-um. Verum non adeo diu in hac voluntate manſiſſe Conſtantinum, atque aliud eidem placuiſſe in hac noſtra ge *supra* §. 1. memorauimus; hanc poſteriorem Con-antini Legem ſua aſſenſione etiam approbaſſe Iuſtinia-um vel ex eo conſtat, quod illam ſuo Codici inſeren-am curauerit, ex aduerſa autem parte *d. l. a.* verba re-enſita antea deleuerit penitus, quæ alias in Iuſtinianeo Codice *L. 15. d. Donat. ante nupt.* portio poſterior futu-a fuiſſent, niſi acceſſiſſet Iuſtiniani ſpongia. ET QVO-CVNQVE IVRE SVCCESSERINT:) Siue ergo ciuili iu-e ſuccedant hæredes, ſiue prætorio, tamen dimidia quæ ponſo ſponſæue debebatur ad illos pertinebit Gloſſa ad *l. L. 16. in verbis quocunq; jure* Scipio Gentilis *d. cap. 11.* VT DONATIO STARE PRO PARTE DIMIDIA,) *vt donatio ſtare pro parte media* ſc. videatur, ita Codex Theodoſianus habet, omnino autem ante nuptias dona-io in ſponſam collata pro parte dimidia conſiſtere de-ebat, poſteaquam oſculo delibata ſponſæ pudicitia erat, icque eius conſenſus coniugalis ſponſus habebat argu-mentum luculentiſſimum. ET RESOLVI PRO PAR-TE DIMIDIA VIDEATVR.) in Theodoſiano Codice ita legitur: *& ſolui pro parte media videatur*, vt reſol-ueretur iterum ſponſalitia donatio vtique erat neceſſe,

quandoquidem illa non continet conditionem ſuſpenſiuam (vt Ictis loqui mos eſt) ſed reſolutiuam, nimirum ante nuptias donatio expreſſam vel tacitam nuptiarum cauſam ſiue reſolutiuam conditionem adiectam habet, quæ ſtatim accipientis facit munera, conditio ſuſpenſiua non æque, ſub qua ſi quicquam datur, non prius transfertur dominium in accipientem, quam ſi illa extiterit; Plane cum non ſub cauſa ſed conditione deſponſati ſibi aliquid largiuntur v. c. dabo ſi nuptias contraxeris, nulla donatio eſt & inualida, inciditque in caſum a quo incipere non poterat *L. 4. C. de Donationibus ante nuptias*, adeundus hic cumprimis eſt Ioannes Strauchius ICtus ſemper honoris reuerentiæque nominandus *Diſp. 8. §. 18. de Regulis Iuris Antiqui*, Conferatur Scipio Gentilis *dict. Tract. c. 8. & 9.* OSCVLO VERO NON INTERVENIENTE,) hoc eſt (quemadmodum nos illud interpretamur ſuffragante communiori Ddrum Schola) quandò oſculo non diminuta ſponſæ pudicitia, nec quod inde ſequitur, illa præſentem in nuptias conſenſum teſtata eſt, tum Conſtantinus jubet SIVE SPONSVS, SIVE SPONSA OBIERIT TOTAM INFIRMARI DONATIONEM, ET DONATORI SPONSO VEL HÆREDIBVS EIVS RESTITVI.) namque competit hoc caſu Sponſo Condictio cauſa data cauſa non ſecuta, in quam veniunt etiam fructus & quicquid accreuit rei donatæ *L. 12. ff. de Condictione Cauſa data.* QVODSI SPONSA) hactenus tractauerat imperator quatenus donatio a ſponſo in ſponſam profecta habeatur valida, jam quid iuris ſit declarat ſi ſponſa ſponſo munera dederit. INTERVENIENTE, VEL NON INTERVENIENTE OSCVLO,) nulla hic oſculi habetur ratio, ſecus ac poſteriori caſu, quo cumprimis di-

diſtinguendum erat vtrum oſculum interuenerit nec ne, cur illud autem hic non procedat, hujus cauſam infra curioſius explorabimus. DONATIONIS TITULO) in Codice Theodoſiano eſt *ſponſaliorum titulo* quod quidem melius ſponſalitiæ largitatis naturam exprimit, quam illud *donationis* verbum, quod loco vocis ſponſaliorum collocauit Triboniánus; namque de donatione intuitu futuri coniugii facta in lege noſtra agi in confeſſo eſt apud Dd. cum autem donationis titulo quicquam datur quænam intelligenda donatio ſit an pura an illa quæ ſit propter nuptias, an arrhæ an hæc noſtra ſponſalitia largitas, non conſtat, niſi dicamus ſimpliciter donata intuitu futuri matrimonii data præſumi, deinde incongrue etiam dicitur, donationis titulo aliquid largiri, illud videlicet tautologiam inuoluit, cum in voce *largiri* iam lateat ille titulus; quapropter rectius omnino dixerat Conſtantinus: quodſi ſponſa ſponſaliorum titulo fuerit aliquid ſponſo largita, illa enim verba penitus exhauriunt ſponſalitiæ liberalitatis naturam; iisdem vero verbis vſos etiam fuiſſe deprehendo Impp. Diocletian. & Maximianum in *L. 8. C. d. Prædiis & aliis rebus minor: Prædia ruſtica* aiunt *quæ contra Senatus Conſultum data eſſe ante nuptias ſponſaliorum nomine, precum tuarum confeſſio oſtendit* &c. Verum nec ſponſalitiam largitatem ſponſaliorum titulo ſiue (vt interpretaris) intuitu ſponſaliorum contrahendorum dari dixeris, nullo tamen nos expedimus negotio, quodſi ſponſa ſponſaliorum titulo quicquam largita fuerit ait Conſtantinus, non poterat autem illa quæ iam ſponſa erat futurorum ſponſaliorum cauſa aliquid dare amplius, præterea ſponſalia ſpes ſunt futu-

rarum nuptiarum, cum igitur ſponſaliorum titulo quicquam conceditur, ſpe futurarum nuptiarum datur, quod erat demonſtrandum. (QVOD RARO ACCIDIT) quod ſponſa aliquid ſponſo largiatur, illud raro accidere cæſarait,& miraculi ſimile fatetur Baldus, duas potiſſimum rationes, donationis ſponſæ tarioris afferunt interpretes, primo ad rem nimium auidiores fœminas eſſe dicunt, ut hinc mulierum donationes incongruentes & contra ſexus naturam eſſe probat *L. 33. §. 1. ff. de Donat. inter Virum & Vxorem* easdem de raro contingentibus eſſe putet Gothofredus *ad d. L. 15. c. Th.* genus mulierum auariſſimum appellet gloſſa, nec Senatus Conſulto Velleiano iuuetur ſi donauerit *L. 4. §. 1. ad S. C. Velleianum*, cum hic profuſio temeraria ſequioris ſexus facile metuenda non ſit, vtpote qui in rebus concupiſcendis neque modum nouit neque capit terminum, deinde ſagaciſſimas eſſe fœminas addunt (videatur Scipio Gentilis d. c. 11.) atque ea propter ob illam mentis ſolertiam citius iis ætatis veniam concedi *L. 2. §. 1. C. de his qui veniam ætatis.* Verum illa mentis ſolertia ad auaritiam recidit; ceterum fœminas altiori quadam mente quam viros præditas, & conſilio paratiores eſſe, concedendum non eſt, nec ſi maiorem prudentiam admittimus, illud inde ſequitur mulieres raro donare. FVERIT ALIQVID SPONSO LARGITA,) ſupra illud in quæſtione nobis fuit, num munera ſponſalitia a ſponſo ſponſæ parentibus data, etiam ſtare pro parte dimidia videantur; cum de ratione legis nondum conueniat inter interpretes, nec in quæſtione componenda illos potuiſſe conſentire oſtendimus, nos tamen illam ibidem putauimus affir-

firmandam, iam hoc loco explorandum reſtat, An ſi ſponſa ſponſi parentibus donauerit quicquam nuptiarum nomine, illud omne, morte nuptiis non ſecutis, poſſit reuocari? Equidem ſi in ipſum ſponſum collata donatio eſt, illam totam infirmari ſatis ſuperque ex noſtra lege patet, ſi in parentes vero profecta num pari modo vniuerſa corruat non æque conſtat, Qui ſponſalitiam liberalitatem ideo ad ſponſam pleniſſime reuerti aiunt, vel quod illa oſculum donatione non remuneretur, ob ſexus auaritiam Pagenſtecher. *d. l.* vel quod ſponſa dare ſolum non accipere oſculum videatur, atque idcirco vbi nullum accepit oſculum illud munere remunerata non cenſeatur, Sichard. *d. l.* vel quod rarius a ſponſa proficiſcatur ante nuptias donatio *d. L. 16.* ideoque non in ſingularem veniat conſiderationem *Obrecht. d. diſp. 5. n. 19.* Hi omnes fateri neceſſe habent, ſponſi parentes etiam, & multo quidem magis ad ſponſalitiam largitatem omnimodo reſtituendam adſtringi. Quodſi tamen Magnifici Sleuogtii rationem quam & Gothofredus *ad. d. L. 5. Th. O.* habet, fundamenti loco collocamus vtique aliter decidenda res eſt; Per oſculum quidem conſenſum coniugalem declarari, & æquale vtrinque vinculum naſci ille opinatur, adeo vt ex hac cauſa etiam partem donationis dimidiam ſponſæ conceſſam putet; a ſponſo tamen ea propter dimidiam poſſe poſtulari negat, cum hic non ſolum fauor dotis obſtet ne illa temere minuatur, ſed ſexus ſequioris etiam ſit habendâ ratio, qui natura impotentior cæco amore ſtimulante non adhibet in conſilium rationem, quotiens eum quem deperit largitur. Hæc Magnif. Sleuogtius *Poſit. Iuris de oſculo ante nu-*

ptias

ptias apb. 18. Plane ſi fauor dotis efficit, vt vniuerſa reſtituatur donatio, ſponſi hæredes ſemper, & parentes eiusdem tum ad illam reddendam tenebuntur, quando ſponſus ſponſam reliquit ſuperſtitem, ſi tamen ſponſa præmortua, nec ſponſo, nec eiusdem parentibus fauor dotis obſtabit amplius. Quodſi vero ſexus imbecillioris etiam habenda ratio eſt, cuius liberalitas iuſto diſſolutior metuenda quoties amori animum deditum habet, illud inde conſequetur, ſponſum plane nihil, eiusdem parentes vero dimidiam lucrari partem, quoniam cum parentes ſponſi muneribus ſponſa afficit, periculum non eſt, ne profuſione temeraria ex cœco amore profluente ſibi & ab inteſtato ſucceſſuris quicquam contrahat detrimenti, hac igitur ratione parentum melior eſt conditio quam ipſius ſponſi, quod annon repugnet æquitatis regulis alii iudicent. Quid igitur in tanta opinionum varietate quæ huc atque illuc animos fluctuantes agitat, recte ſtatuendum eſt? Equidem quantumuis honori tantorum virorum dudum egregie de iurisprudentia promeritorum nihil detractum volo, cur tamen illis libr ſcribere nequeam, non vna occurrit ratio. Illa profecto quibus Sichardus, Pagenſtecherus atque Obrechtus ſuam ſententiam ſuffulciunt, ſi ad veritatis libram expendimus, vniuerſa corruunt, quod, quoniam altera tractationis parte pluribus commonſtratum ibimus, hic docere non eſt opus. Quod autem ad doctiſſimas alioqui Magnifici Sleuogti, rationes attinet, in illis quoque fateor mihi hæſiſſe aquam vid. *Tract. noſtræ Membr. 2dum.* Quapropter ſi iam qui ſit meus de ſuperiori quæſtione ſenſus oſtendendum eſt, me, communioris ſententiæ eſſe,

nec

nec dum pœnituiſſe profiteor; Oſculo nempe ſponſi pudicitiam non delibari communior concludit Ddrum ſchola, qua concluſione illud porro efficitur, ſponſum osculo præſentem in nuptias non declaraſſe conſenſum; vbi ergo ex parte ſponſi conſummatæ nuptiæ non ſunt, neque hic neque parentes eius dimidiam donationis partem retinebunt. Hactenus igitur inter Sichardum, Pagenſtecherum, Obrechtum meque nullus eſt diſſenſus licet rationes illorum ex quibus illud etiam confici poterat prorſus improbemus. Ceterum illud hoc loco prætermittendum non eſt, quod Iacobo Gothofredo ad *d. L. 5. C. Tb.* perinde videatur, ſiue non delibatam ſponſi pudicitiam, ſiue profuſionem ſponſæ in ſponſum temerariam, hæredibus legitimis ab illa metuendam, in cauſa eſſe dicamus, quod ne dimidia quidem portio ſponſo concedatur. Sane ſi priorem rationem admittimus parentibus ſponſi dimidia pars munera attribuenda non eſt, ſin poſteriorem aduocamus dimidiatam portionem iure poſtulabunt; hinc non adeo liberalis debuit eſſe Gothofredus in rationibus legis pluribus, ex quibus iuris diuerſitas inducitur, temere aſſignandis. Atque hæc de muneribus ſponſalitiis ſponſo eiusue parentibus datis. Illud etiam a Doctoribus ventilatum video, num, ſi mutuo ſibi quicquam deſponſati largiantur, ex hac lege noſtra ſit deciſio repetenda. Forte has donationes remuneratorias atque idcirco a noſtra lege alieniſſimas, quisquam exiſtimauerit, quæ enim remunerandi animo donata ſunt illa nunquam poſſunt repeti, nuptiis licet morte non ſubſecutis, ſecus ac ſponſalitia largitas per *d. l. 16.* Verum expedita res eſt,

aut donatio nominatim intuitu nuptiarum facta, aut ſimpliciter, priori caſu mutua deſponſatorum donatio remuneratoria haberi nequit, quia expreſſe aliud fuit actum, poſteriori vero cum vtrinque muneribus ſe afficiunt ſponſus atque ſponſa & ſimpliciter quidem, donatio fortaſſe remunerandi animo celebrata videri poterat. Sed quid multis! Etiam donationi ſimpliciter factæ tacita ineſt nuptiarum conditio, atqui taciti & expreſſi eandem nouimus eſſe rationem; deſponſati deniq; ſibi inuicem remuneraturi beneficia ſpeciatim exprimere debebant remunerandi cauſas cum generatim metitorum mentionem iniecisse non ſufficiat v. c. has tibi ædes pro meritis tuis ego largior. Obrecht. *d. diſp. 5. n. 169.* Quapropter quod ad donationes deſponſatorum mutuas quoque, noſtræ Legis deciſionem protrahunt Scipio Gentilis atque Cynus, illud omnino bene habet. ET ANTE NVPTIAS HVNC VEL ILLAM MORI CONTIGERIT:) Conferantur, quæ ſupra ad eadem legis noſtræ verba annotauimus; illa enim hic repetere nihil cauſæ eſſe videbatur. OMNI DONATIONE INFIRMATA) Si ſponſus ſponſæ largiebatur, osculo interueniente, pro parte tantum dimidia reciproca erat donatio, ſi ſponſa ſponſo donat omnis infirmatur, quantumuis interuenerit ſuauium; rationem diuerſitatis, niſi me fallit animus, ea qua fieri potuit breuitate antea indicauimus, ſequens tamen membrum illam declarabit plenius. AD DONATRICEM SPONSAM SIUE EIVS SVCCESSORES) adde quod ſupra dixerat Imperator *cuiuslibet gradus ſint, & quocunque iure ſucceſſerint* ſiue ciuili ſiue prætorio. DONATARVM RERUM DOMINIVM TRANSFERATVR,)

Quo-

Quoniam ob cauſam futurarum nuptiarum non ſub conditione data res erat, hæc ſtatim, etiam cauſa nondum impleta, tranſiit in dominium accipientis ſponſi ſc. quod tamen vbi morte nuptiæ ſecutæ non ſunt ad ſponſam transferri iubetur; ex poteſtate legis ergo ad ſponſum dominium redit quod vtique hac ratione tranſire debebat poſtea quam rei vindicatio vtilis ad repetenda munera deſponſatis prodita a Conſtantino erat in *d. l. 15.* Ceterum ſponſa condictione etiam res donatas repetere non prohibebitur, conf. Sichardus ad *d. l. 16. n. 12.*

§. XV. Atque hæc ſunt quæ cum in Inſcriptionem tum ipſam Legem commentanda videbantur, ſed neque ſubſcriptio hic ſicco pede prætereunda erat quæ in Iuſtinianeo Codice ita legitur ACCEPT, XIII. CAL. MAII:) in Theodoſiano libro eſt, *Dat. Id. Iul. Conſtantinopoli. Accepta 13. Cal. Maii.* Diem poſtremo & conſules addit Conſtantinus; ille enim ipſe dudum edixerat in *L. 1. Cod. Th. de Conſtitut. Principum: ſi qua poſt hac edicta ſiue Conſtitutiones ſine die & conſule fuerint deprehenſa vt auctoritate carerent.* Formulæ autem quibus tempus annotabant Imperatores, non vnius generis, ſed variæ in Codice habentur; frequentiores ſunt DATA SCRIPTA ET PROPOSITA duas poſteriores ſiglis S. & P. P. plerumque deſignabant. Data conſtitutionem generalem notare, & ſubinde duobus locis datum reſcriptum legi obſeruat Strauch. *Diſſ. Acad. 3, de Conſtitut. Principum* §. *42.* Scripta vero notabantur ea, quæ ſunt iuris notiſſimi *L. 26. C de tranſact.* aut non incertæ opinionis *L. 32. C. d. t.* eodem monente Strauchio. SVBSCRIPTA etiam eſt in *L. 7. C. qui potiores in pignore*, & SUPRASCRIPTA, DAT. in *L. 29. C. Ad Legem Iul. d. Adult.* Propoſita notabantur reſcripta,

quibus, ſecundum ea quæ a priuatis propoſita erant, reſpondebatur; SUPPOSITA quoque reperio in *L. 15. C. ad Legem Falcid.* & *L. 17. C. eod.* EMISSA etiam occurit interdum (parcius tamen) quando motu proprio Principes reſcribebant. Aliquando inuenitur, P.D.S. PROPOSITA DATA SCRIPTA *L. 2. C. ne de ſtat. def.* & S. D. SCRIPTA DATA paſſim in *tit. Cod. d. Teſtam.* Merentur, omnino legi quæ vberius in hanc rem erudite diſſerunt Incomparabilis Strauchius *d. l.* & Iacobus Gothofredus Vir (Strauchii Iudicio Diſſertatione *ad L. ſingul. C. de Obſt. Votorum n. 4.*) rerum diuinarum humanarumque ſcientiſſimus *Prolegomen. Cod. Theodoſiani cap. 9.* Vt autem ad illud redeamus quod propius huc facere videtur, interdum & loc is & dies annotebantur, quo redditæ magiſtratibus Impp. Conſtitutiones erant, quemadmodum ex ipſa noſtra lege diſcimus, quæ 13. Cal. Maii Hiſpali ACCEPTA dicitur, plura exempla ſuppeditat citato loco Strauchius ex *L. 2. C. d. Procur. L. un. C. de bis qui parentes occiderunt. L. 1. C. de teſtament. militis*; nos alia addimus ex *L. 1. C. de dolomalo*, *L. 16. C. de Rescindenda venditione. L. 5. C. d. teſtamentis*, *L. 18. de neceſſar. hæredib. inſt. L. 13. C. de relat. L. 1. C. d. Contrahenda & committenda ſtipulat. L. 1. C. de Præfectis Prætor. ſiue Vrbi Magiſtris militum exequendis.* Ex Codice Theodoſiano etiam nonnulla affert Iac. Gothofredus *d. l.* Interim quod vox accepta veteribus erat illud noſtratibus PRÆSENTATUM notatur, reſcriptorum nempe dies à tempore acceptorum ſeu præſentationis currere incipit, docente poſt alios Strauchio *d. l.* Data igitur hæc lex noſtra legitur Id. Iulii Conſtantinopoli, accepta vero 13. Cal. Maii, Hiſpali licet prius quando data lex fuerit ex Codice Theodoſiano

no

no non tranſcripſerit Tribonianus. Eodem autem anno iisdemque Conſulibus Nepotiano ſc. & Facundo data; & accepta eſſe non potuit, ſic enim acceptam Legem prius fuiſſe quam datam ſequeretur, quod quidem vel cogitaſſe ſtultiſſimum foret. Quare data hæc eſſe præcedente anno Conſtantio Cæſare & Rufio Albino coss, Accepta vero cum Nepotianus & Facundus conſulatum tenerent, omnino dicendum eſt; ſimile exemplum habetur, in *d. L. vnica C. de bis qui parentes*, vbi legitur DAT. II. Cal. Decemb. Licinio 5. & Criſpo Coss. ACCEPTA prid. Id. Mart. Carthagine Conſtant. A. 5, & Licinio coss. Ceterum hoc notare adhuc noſtra refert, illam Conſtantini noſtri Conſtitutionem in *d. L. 1. C. Theod. d. Conſtit. Principum*, qua edicta ſine die & conſule poſt hac deprehenſa pronuntiantur inualida, ſucceſſu temporis non vsque quaque ſtetiſſe per ea quæ tradit idem, quem paulo ante nominaui Iac. Gothofredus Magni quidem parentis, maior filius, *ad. d. L. 1. C. Th.* nimirum primo cum in Theodoſiano, tum in Iuſtinianeo Codice extant Conſtitutiones plurimæ etiam ipſius Conſtantini quæ die & conſule carent, quin illud ſubinde nominatim adiectum habent: P. P. SINE DIE ET CONSULE, & quamuis alicubi diem & Conſulem excidiſſe negandum non ſit, id tamen ſemper & vbique factum eſſe, non emere dixeris. Deinde Iuſtinianus etiam tacite videtur hanc Conſtantini legem abrogaſſe dum Conſtitutionibus ſine die & Conſule nihilominus ſuum voluit conſtare robur *Conſt. d. nouo Cod. fac. §. 2.* Et *de Inſtinianeo Cod. confirmando. § 3.* Accedit denique, quod Tribonianus *d. L. 1.* quæ de edictis prodita erat, interpolatam pe-

nitus, ad ſola beneficia reſtrinxerit, & ſua propria ſede (quam ſub *tit. de Conſtit. Principum* habebat) exturbatam ſub rubro *de diuerſis Reſcriptis* collocauerit. Vide quæ pluribus in hanc rem neruoſe & erudite diſputat ad *d. L. 1.* Gothofredus. Ceterum illa temporis annotatio, quam Imperatorum Conſt. ſubiectam habent, ſua omnino vtilitate ſe commendat, facitque plurimum, cum ad veras legum rationes eruendas, tum ad conciliationes legum, atque earundem, quas Tribonianus diſcerpſerat, coniunctionem Gothofredus *Prolegom. ad Cod. Th. cap. 10.* Verum Inſcriptiones & ſubſcriptiones legum aliquando peculiari tractatione generatim exſequemur ſiquidem tempus & commoda occaſio dabitur. Ex iis tamen qui iam illud aggreſſi opus cumprimis nominandi ſunt H. Brenckmannus, & B. H. Reinoldus, quorum prior de Legum Inſcriptionibus librum edidit, alter de Inſcriptionibus LL. Digeſtor. & Cod. orat. habuit. HISPALI) noſtra lex Hiſpali accepta dicitur, vbi quemadmodum ex inſcriptione cum ſubſcriptione collata, apparet, Vicarius Hiſpaniarum commorabatur. Omnis Hiſpaniæ illa quondam metropolis fuit, cui an etiam nomen dederit iam non diſputamus. Fuit tamen iam olim ea Auſonii poemate celebrata:

Clara mihi poſt has memorabere nomen Iberum,
HISPALIS; *æquoreus quam præterlabitur amnis:*
Sub mittit cui tota ſuos Hiſpania faſces:
Corduba, non; non arce potens tibi Tarago certant.
Quæque ſinu Pelagi iactat ſe Bracara diues.

Ita in veteri Codice eſt, vulgata lectio pro voce Hiſpalis, *Emeritam* totius Luſitaniæ matricem ſubſtitutam habet, quam

quam antiquiori etiam præferendam putauit Scaliger *L. 1. Auſ. c. 13. & L. 2. c. 30.* quod Hiſpalim non præterfluat æquoreus amnis, ſed Emeritam. Verum enim vero quodſi æquorei amnes illi dicuntur, quorum oſtia, quia in Oceanum prorumpunt, æſtum Oceani patiuntur nihil impedit, quominus, Auſonium de Hiſpali ſenſiſſe exiſtimemus cum Gothofredo ad *d. L. 5. Cod. Theod.* cui etiam æquoreus amnis Bœthis præterlabitur, accedit quod Hiſpaniæ metropolis Hiſpalis fuerit non Emerita. In hanc Gothofredi ſententiam quoque concurrit Magnif. Sleuogt. *dd. Poſit. Apb. 6.* NEPOTIANO ET PACATO COSS.) rectius in Theod. Codice accepta Lex dicitur *Nepotiano & Facundo Coſſ.* neque enim vllus ſub Conſtantino memoratur conſul cui nomen Pacati fuerit, ſed cum Nepotiano Facundum Conſulatum geſſiſſe produnt Faſti Conſulares, & leges etiam in ipſo Iuſtinianeo Codice nempe *L. 1. C. d. naturalibus liberis, L. 4. C. de Ordine Iudiciorum.* Quapropter non ipſius Triboniani, ſed librariorum culpa Pacatum pro Facundo irrepſiſſe putauerim.

Hæc ad ipſam legem dixiſſe ſufficiant iam properamus ad

Membrum SECUNDUM.

Quo, de ratione Legis indaganda laboratur.

§. 1. Poſteaquam ſententia legis noſtræ genuina percepta patuit, merito illius etiam ratio ſedulo excu-

tien-

tienda erat. Quodſi enim juxta notiſſimum illud Celſi effatum in *L. 17. ff. d. LL.* Scire leges non eſt verba earum tenere ſed vim ac poteſtatem, quomodo vis illa ac poteſtas intelligi recte poteſt, niſi vera ſimul ſit explorata legis ratio. Quare quam in hac ſecunda tractationis noſtræ parte in cauſa Legis 16. eruenda collocabimus operam, illam fruſtra ſuſcipi exiſtimandum non eſt, quando quidem hac prope cognita in Conſtantini mentem penitius intueri licebit.

§. 2. Quænam igitur illa habenda ratio quæ Conſtantino expreſſit hocce reſcriptum memorabile? Satis diſſident inter ſe & diſcordant iuris interpretes, & quaſi alii pro inquiſita ſibi & comperta afferunt hanc in dubium vocant alii, adeo vt cui ſuto accedendum ſit vix conſtet, niſi rebus circumſpectis omnibus rationes ſubducantur. In tres autem partes potiſſimum diuulſas & diſtractas deprehendimus interpretum ſententias, quibus quantum tribuendum ſit, ea qua par eſt modeſtia, ac dexteritate examinabimus.

§. 3. Illa quidem ſententia communior & plurimorum ſuffragio comprobata, qua afferitur oſculo delibatam quadantenus eſſe, & pro parte quaſi dimidia ſponſæ pudicitiam, cum inter Romanos, tum inter Chriſtianos maxime creditum fuiſſe Gothofredus *ad ſupra cit. L. 5. Cod. Th. d. Sponſalibus*, Balduinus *Com. d. LL. Conſt. M. L. 2. p. mihi 193.* Antonius Gubertus Coſtanus *d. Sponſalibus p. mihi 35.* Neuenhan. *ſuperius cit loco.* Lauterb. *Diſp. de Donatione propter nupt. aph. 44.* Brunnem. ad *d. L. 16. n. 3.* Richter *dec. 147.* Scip. Gentilis *d. l.* Bodin. *Diſſ. de Donat. propter nupt. th. 2.* Obrecht. *cit. Diſp. 5. n. 51.*

ideo-

ideoque nuptias prope ſecutas videri Balduinus *d. l.* Etenim oſculum addunt matrimonium facit ratum Scipio Gentilis *d. l.* iusque ſponſaliorum auget, Idem *d. l.* Gothofredus *d. l.* adeo vt inter Chriſtianos etiam oſculum inſtar pignoris ac ſymboli communionis ac fœderis fuerit, vt proinde cui oſculum tuliſſet ſponſa ei arctiore fœdere, & communione ſociata crederetur, Gothofredus *dict. loc.* Quare cum oſculum quoddam initium conſummationis nuptiarum ſit, & fruitio quædam ſponſæ, hinc, ſponſam non immerito dimidiam ſponſalitiæ liberalitatis partem lucrari concludunt, eamque in pudicitiæ diminutæ præmium atque compenſationem Richterus *d. dec. 147.* Lauterb. *cit. aph. 44.* alias Aug. Stryck. *Diſſert. de Matrimonio præſumto C. 2. n. 65.* Balduinus *d. l.* Ceterum quod ſponſus etiamſi oſculum interueniſſet, nihilominus ſponſalitiam reſtituat donationem, id iuſtiſſima, dicunt, ſubniti ratione, quippe quod huius pudicitia oſculo non delibetur Brun. ad *d. L. 16.* nec oſculi diſtinctio cum ſuo effectu ad ſponſum quadret, nempe in quo tanta caſtitatis religio, quanta in fœminis, non exigatur arg. *L. 5. ad Senatus Conſ. Orfitianum.* Richter *d. dec. 147.* quin pudor ſequioris ſexus non admittat ſuſpectam apud veteres quæſtionem, vtrum oſculum ſponſa dederit nec ne, cum non mulier viro, ſed hic mulieri oſculum ferre & aufferre præſumatur, & viri gratia non mulieris interueniſſe putetur Gloſſa *ad d. L. 16. in verb. oſculo.* Richter *d. dec. 147.* Brunneman *ad d. L. 16.* Iac. Gothofredus *d. l.* qui tamen & illam reddi poſſe rationem ait: quod muliebri ſexui impotenti, & ad amores cœco, licet alias ad liberalitates non adeo prono, hic ſuccurri oportere viſum fuerit Conſtantino.

§. 4. Verum neque hæc, quamuis communius & vno fere ore tradant interpretes, aſſenſione ſua approbanda putauit, is qui partes Anteceſſoris Groningani hodienum ſuſtinet A. A. Pagenſtech. *Tract. d. Iure Virginum p. 83. p. m. 237. & 238,* vtpote rationem magis probabilem ſibi attuliſſe viſus. Sponſa ait donum accipiens a ſponſo videtur ipſum oſculo impertiiſſe, ob auaritiam ſexus *L. 33. §. 1. ff. d. Donat. inter virum & vxorem,* qui muneribus acceptis adeo delectatur eaque oſculo facile compenſat. Vt pro hoc oſculi dono ſponſus quaſi ad ἀντίδωρα obligatus *L. 25. §. 11. d. H. P.* ſemiſſem donatorum viciſſim videatur donare. Quæ ratio ceſſat in ſponſa donatrice ob ſexus naturam, *d. L. 33. §. 1.* His fere gemina tradit Ioan. Sichard. *ad d. L. 16. n. 8.* nimirum quia ſponſa videatur dare oſculum, ſponſus dando aliquid accipere non mirum eſſe ſi pro accepto oſculo aliquid etiam doni i. e. dimidiam partem rependat. Eo igitur ſententia Sichardi & Pagenſtecheri redit: ſponſam donationem oſculo, ſponſum oſculum donatione remunerari, cum autem in ſponſum profecta ſponſalitia largitas, eum oſculo vicem exſoluiſſe non cenſeri, quod ille iuxta Sichardi trádita oſculum non præſumatur dediſſe ſed ſola ſponſa, vel quod ſponſa vt Pagenſtecheri fert opinio, non videatur donatione oſculum compenſatura; ob ſummam ſexus auaritiam.

§. 5. Vidimus hactenus cum opinionem Ddrum communiorem, tum Pagenſtecheri atque Sichardi ſententias. Neutra tamen mereri potuit Illuſtris Sleuogtii noſtri aſſenſum, vtpote cui illa omnia omnino non ſatis

fa-

faciunt. Magis autem eſſe ille arbitratus. *Poſit. Iuris de Oſculo ante nuptias apb. 14. 15. 16. 17, & 18.* vt illam fuiſſe cauſſam conſtitutionis exiſtimemus: *Sponſalitiam liberalitatem*, ipſiſſima viri doctiſſimi verba recito, *vbi ſemel confecta fuerint nuptiæ, pleniſſimo iure ſponſæ acquiri certum eſt. At vero nuptiæ non concubitu ſed conſenſu coniugali æſtimantur: & hunc euidentius quam verba, declarant oſcula. Præcipue ex ſeuera Romanorum grauitate, vt Tuldeni verbis vtar oſcula ad coniugalem licentiam pertinebant: vtque Gothofredus notat, inter Chriſtianos oſculum inſtar pignoris, ac ſymbolum communionis federisque fuit. Quod illuſtrat loco Chryſoſtomi: Oſculum animos ſociat reconciliat mentes, & vnum corpus oſtendit. Proinde cui oſculum dediſſet ſponſa, ea in arctius & proximum coniugali vinculum transiiſſe credebatur. Verbis Perezii: Oſculum quoddam initium conſummationis nuptiarum eſſe videtur, & fruitio ſponſæ quodammodo. Merito igitur partem ſponſalitiæ largitatis lucrabantur tam hæredes ſponſæ. Neque eſt quod quis regerat,* Sleuogtius pergit, *ex eadem ratione donationem, a ſponſo profectam, dimidia parte lucrari ſponſum debere: quod æquale vtrinque vinculum naſcatur, & par vtriusque debeat eſſe ratio. Præterquam enim quod fauor dotis obſtat ne illa temere minuatur: etiam ſexus ipſius habenda eſt ratio. Qui ſicut natura impotentior: ita licet alias tenacioris ſit animi: cæco amore ſtimulante non adhibet in conſilium rationem quotiens ei, quem deperit largitur. Vt periculum ſit, vbi rerum ſuarum eſt arbiter ne profuſione in ſponſum temeraria ſibi & ab inteſtato ſucceſſuris plurimum contrahat detrimenti.*

Quam rationem & Gothofredus habet: veriorque omnino eſt altera, muliebrem pudorem non admittere illam oſculi vtrum interuenerit nec ne diſtinctionem. Hæc Sleuogtius. Quodſi igitur Magnifici Sleuogtii ſententia in pauca conferenda eſt eo illa collimabit. Oſculo partes præſentem teſtatum feciſſe conſenſum, ideoque, cum nuptiæ, ex ſolo conſenſu coniugali æſtimandæ, ſic propè ſecutæ videantur, dimidiam donationis partem ſuo iure ſponſam retinere, & eam quidem ſolam, non ſponſum, in quem ſi quæ fuere collata munera, ſunt reciproca omnia, quod illi obſtet dotis non temere minuendæ fauor; & liberalitas ſponſæ in ſponſum ſolito diſſolutior ex amore nimio proueniens, & legitimos hæredes auctura damno maximo, ea ratione omnino conſtringenda fuerit.

§. 6. Atque hæc ſunt quæ docte admodum de cauſſa legis ab interpretibus diuerſimode diſputata legimus. Et profecto quæque ſententia ſuis non deſtituta rationibus, propugnatores ſtrenuos non minus quam præſtantiſſimos habet, vt, niſi intentis, quod aiunt, oculis contemplemur omnia, animus in diuerſa rapiatur atque aliam rem ex alia cogitet. Mihi quidem initio, fateor, non expedita, atque explicata adeo fuit hac in re deliberatio, poſteaquam tamen ſecretiores paululum intra me volui cogitationes, doctrinæ interpretum communiori ſubſcribendum duxi, quam, licet erroneam putet Pagenſtecherus, neque ad liquidum perductam exiſtimet Magnificus Sleuogtius nobis tamen etiamnum ad veritatem viſa eſt propenſior. Age ergo noſtram primo ſententiam declarabimus, declaratam argumentis firmabi-

bimus, firmatam ab aliorum obiectionibus liberabimus, deſcenſuri poſtremo ad euertenda diſſentientium propugnacula, quibus ſuam defenſum eunt ſententiam.

§. 7. Illud quidem nos etiam fundamenti loco collocamus, ante nuptias donationem totam ſuſtineri, ſi coniugalem conſenſum vtrinque partes declarauerint, vel nuptiis acceſſerit concubitus, hunc enim, quamuis ſolus nuptias non faciat, *L. 30. ff. d. R. I.* vbi tamen ſponſalia præceſſerunt matrimonium præſumtum inducere conclamatæ deciſionis eſt, Ælius Aug. Stryck. *cit. diſſ. de præſumto matrimonio. cap. 1. n. 44. ſeqq.* neque illud diſſimulant Magnif. Sleuogtius *dd Poſit. aph. 21.* atque Sichard. ad *c. l. 16. n. 9* rationem ſuperiori Membro *aph. 19.* in medium deduximus, quod ſponſalitia liberalitas expreſſam vel tacitam contineat nuptiarum cauſam, indeque ſi hac impleta omnimodo fuerit, tota retineatur. Hæc ergo cumprimis prænotanda erant, antequam illud in quæſtionem deduceretur, cur nuptiis non confectis, interpoſito oſculo, ſponſa dimidiam donationis partem lucretur, ſponſus non æque? Ad hoc autem ex communiori Ddrum ſuffragio reſpondemus, oſculo ſponſæ pudicitiam, non ſponſi, delibatam credidiſſe veteres, ideoque illam ſolum arctiori nexu ſponſo ſociatam exiſtimaſſe. Quapropter ex veterum ſententia quoad ſponſam tantummodo ſecutas nuptias eſſe, vtpote quæ ſola ediderat conſenſus coniugalis argumentum, quoad ſponſum non item, cuius oſculum, quia inane habebatur, nec pudicitiæ ipſius iacturam inferebat, nequaquam in vim conſenſus coniugalis accipi poterat. Plane ſicuti concubitus, ita pudicitia ſponſæ oſculo diminuta præſentem

in nuptias conſenſum ex parte ſponſæ exprimit. Concubitus tamen amplius quid continet, atque æquale vtrinque vinculum ſecus atque oſculum inducit. At vero quare dixeris? ſane quando concubuere deſponſati, partes mariti etiam eſt exſecutus ſponſus, quod cum ſuæ pudicitiæ iactura ſponſæ pudorem expugnauit, ſicque ſuavi certamine cum ſua clade victor exceſſit, hoc quoniam ceſſat quoad ſponſum cum oſculo deſponſati ſe exceperunt inuicem, nec ſponſa de maritali conſenſu hac ratione certior fieri potuit. Iam ergo niſi egregie fallor explorata ratio erit, cur donatio in ſponſam collata pro parte dimidia ſtare & pro parte dimidia reſolui videatur. Pro parte dimidia conſiſtit donatio quia pudicitia ſua oſculo delibata ſponſa coniugalem conſenſum teſtata eſt, pro dimidia parte vero reſoluitur, quoniam ſponſi pudicitia hac ratione diminuta non eſt, ideoque ille non potuit declarare conſenſum, qui ad matrimonium plene conficiendum adhuc requirebatur;

§. 8. Verum enim vero iam nonnullos furtim & intra labia ridere video, atque murmurare ſimul, quid illud eſt quod oſculo virginitas ſiue pudicitia delibari dicitur, daß die Jungferſchafft durch einen Kuß verlohren gehe. Sane non vnus hic pronunciat, id ſi veri vicem obtinet, vel nulla virgo dabitur, vel puellarum coniugia in perditis & deſperatis habenda ſunt. Verum heus boni viri non diffidamus atque deſperemus rebus noſtris. Salua virginitas eſt pudicitia quantumuis delibata. Videor quidem adhuc lapides loqui, atque ipſe necdum mecum eſſe conſentiens, dum virginitatem ſartam tectamque aſſero, pudicitiam tamen diminutam aſſir-

firmo. Vt igitur a contradictione cuius argui possum me ipsum liberem, res paulo altius repetenda & ab ouo quod aiunt ordienda est.

§. 9. Ita autem tenendum est; tam seueram olim veterum cum Romanorum tum Christianorum fuisse grauitatem, vt pudicitiam non solum in virginitate illibata, sed osculorum etiam sinceritate consistere crediderint. Neque enim pudicitiam siue virginitatem proprie ita appellatam, quam nos concubitu eripi existimamus, illi osculo delibari putarunt, quamuis parum honeste fœmina pudicitiam habuisse crederetur, quæ virginitatem quidem sartam tectamque conseruauerat, osculorum religionem tamen temere neglexerat, omnia nimirum pudore septa veteres voluerunt corpora non minus quam oscula. Optime hoc confirmat illud insigne quod apud Valerium Maximum est, exemplum *L. 6. c. 1. Exempl. 4.* vbi filiæ suæ Mænius: *tam tristi exemplo præcepit, vt non solum virginitatem illibatam sed etiam oscula ad virum sincera perferret.* Plane oscula apud Romanos pudicitiam maxime suspectam fecisse illud Ouidii probat:

Oscula qui sumsit, si non & cetera sumsit,
Hoc quoque quod sumsit perdere dignus erat.

Aquo non adeo abludit, illud quod hodienum apud Belgas vulgato prouerbio circumfertur teste Neuenhanio supra *cit Tract. Sect. fin. p. mihi 310.*

Veel Küßkens op det Lipckens
Mackt vrintscop onder det schlipkens.

Et cum oscula gladiatoriæ veneris antecœnia dixit Apuleius *L. 2.* prænuncias flagitii blanditias Tacitus *l. 16. 14.*

annalium, quid aliud illi innuunt, quam oſculorum caſtitatem præcipuam eſſe pudicitiæ partem. Et profecto niſi violatam oſculo veteres pudicitiam credidiſſent, tam ſeueriſſima eo nomine exempla haud edidiſſent, qualia extant apud Plutarchum *in Cantone, & Problemat. Romanis.* Plinium *14. Hiſt. Natur. 13.* De Scipione Africano refert Florus *Lib. 2.* quod puellas ſummæ pulchritudinis bello captas ne in ſuum quidem conſpectum adduci paſſus fuerit, ſed hoſtibus illico iuſſerit reſtituendas, ne vel oculis quid de virginitatis integritate delibaret. Quodſi igitur tentatam virginum pudicitiam Romani credide-runt, cum ad illas oculis fruendas itum eſſet, quantum oſculis de virginitatis integritate delibatum eſſe debuit? Tanta ſeueritate vsque quaque puellarum pudicitia apud Romanos circumſcripta erat! Vtique oſcula ex ſeuera Romanorum grauitate Tuldeni verbis, *ad licentiam coniugalem pertinebant*, vt quodammodo tum temporis illud Quintiliani vſurpare liceret: *Vxor mea oſculo putatur.* Equidem non diffiteor mulieribus olim licuiſſe conſanguineorum frontem oſculari & viris mulierum cum quibus aliqua erant cognatione iuncti, ſicuti Marcellus *L. 11. Epigram. 99.* ex Plutarcho *in Romulo p. 26. edit Xilandri*, teſtatum reliquit; quid? quod ſuccedentibus temporibus cum ex auctoritate M. Catonis vinum mulieribus eſſet interdictum, etiam viros cognatarum os cœpiſſe oſculari, *vt odor indicium faceret ſi bibiſſent* Plinius *d. l.* quia vinum bibiſſe perinde erat, ac ſi in adulterio, & graui crimine deprehenſa, capitali ſupplicio plectenda eſſet, S. R. Dn. Gœzius *Philogem. d. Oſculo art. 3. p. 9.* Verum illam oſculandi licentiam edicto Tiberio sangui-

guine coniunctiſſimis etiam, poſtea ademtam eſſe teſtatur Suetonius in Tiberia. Obiicit tamen non nemo; cognatos licito apud Romanos oſculatos eſſe fœminas ſic ſatis conſtat, quomodo igitur crediderunt, oſcula pudicitiæ inferre iacturam, ergone vltro his conceſſerunt pudicitiæ delibandæ facultatem ? Neque vero hæc morari nos poſſunt. Pudicitia in oſculorum ſinceritate conſiſtens, ex ſola veterum opinione pependit, at vero de cognatorum oſculis alia ipſis fuit ſententia, quando quidem neceſſitudini quid indulgendum cenſebant. Sane ſiue cognatus, ſiue alius concubuerit cum puella, virginitatem delibari vltro fatemur; huius enim iactura non ex Romanorum opinione, ſed ex ipſis rerum argumentis æſtimanda eſt. Illud quoque grátis aſſeritur ſponſum per ſponſalia iam ſuæ ſponſæ innexum, atque eius eandem quæ cognatorum eſſe rationem; verum ſponſus non dum, ſi diis placet eſt ſponſæ ſuæ innexus nec affinitas quidem per ſponſalia contracta *L. 12. ff. d. R. N.* An ergo ſi quis cognatione ſponſam contingat, huius pudicitiam oſculo ille delibabit? illud olim vix euenire potuiſſe exiſtimauerim; namque ſi Ariſtoteli apud Plutarch. *quæſt. Rom.* 6. credimus, ideo maxime cognatis licuit vsque ad oſcula (nempe quæ conſanguinitatis teſſera & communicatio erant,) progredi, quoniam interdictum cognatorum nuptiis erat D. Gœzius *Philogem. Art. 3. §. 10.*

§. 10. Quæ apud veteres Romanos & Græcos, ea inter Chriſtianos etiam fuit oſculorum reuerentia, vt apud hos etiam puella pudoris regula perfregiſſe crederetur, quæ viri oſcula admiſiſſet. Teſtem omni ex-

ceptione maiorem producimus Chryſoſtomum, de oſculorum vi atque effectu neruoſe copioſeque diſſerentem, *Homilia de proditione Iudæ*: *Sanctum oſculum*, inquit, *teneamus, quod animus ſociat, reconciliat mentes, & VNVM CORPVS oſtendit, quia vnum corpus videmur eſſe ſortiti: & ideo miſceamus nos in corpore vno, non in corporum mixtione, ſed in animorum charitate deuincti, vt ſic diuinæ menſæ fructibus poſſimus ſatiari.* Oſculum ſanctum atque amoris committit, contenditque Chryſtomus, hoc nempe quemadmodum vnum corpus oſtendit, quia vnum corpus videmur ſortiti, ita illud etiam, adeo vt per oſculum ſanctum miſceamur quidem in corpore vno ſed in animorum charitate deuincti, non in corporum mixtione, ad quam, licet non omnimodo, proxime tamen amoris oſculum, accedit. Hæc ſi temere explicata a me putabis, Tertullianum *Lib. de velandis virginibus cap. 11.* audiamus pro me verba facientem: *Si autem ad deſponſationem velantur, quia & corpore & ſpiritu maſcula mixta ſunt per OSCVLVM & dextras, per quæ primum RESIGNARVNT PVDOREM ſpiritu, per commune conſcientiæ pignus, quo totam condixerunt confuſionem, quanto &c.*

§. 11. Illud tamen cumprimis noſtræ ſententiæ fidem autoritatem ac firmamentum adiungit, quod a longiſſimis inde temporibus atque hodienum Hiſpani ad quos data lex noſtra fuit, oſcula inuiſa habuerint Antonius Gubertus Coſtanus *de ſponſal. p. mihi 36.* Petrus Gregorius Tholoſanus *Syntagm. Iur. Vniv. L. 8. cap. 8. n. 25.* adeo vt vxorem quæ oſculum dediſſet, adulteram arguerint, atque [illegible] cenſuerint priuandam teſte Io. a

Ripa

Ripa *Rubr. de Iudic. col. 3.* Equidem Arnoldus Ferronus *in conſuetudin. Burdeg. tit. 4. §. 2.* fragmenta Senecæ nondum excuſa apud Paulum Sadoletum ſibi viſa eſſe refert, quæ ſponſalia oſculo firmata ad nuptias apud Hiſpanos accedere oſtenderent. Eadem Italorum moribus obtinere docent allegati Dd, quin in illos qui uxores diſuauiantur capitis, pœnam conſtitutam eſſe autores ſunt Gramm. *Conſ. Crim. 48.* Cæſar Vrſill. *Addit. ad Afflict. dec. 76.* Quapropter, niſi fallimur, iam ad liquidum noſtræ opinionis veritas explorata euaſit, quodq; dimidiam ſponſa donationis portionem lucratur, huius vera atque genuina ratio, pudicitia ſponſæ oſculo delibata cenſenda erat, qua conſenſus ſponſæ coniugalis abunde declaratus eſt, & nuptiarum conditio, quam donatio continebat, ex parte ſponſæ adimpleta.

§. 12. Illud facere non poſſum quin obiter ſaltem moneam, voluiſſe & alibi Conſtantinum pudicitiæ delibatæ ſua conſtare præmia. Donationes inter Virum & vxorem factas ſiquidem morte donantis jus teſtandi adhuc habentis confirmatæ fuerint, ſubſtitiſſe notiſſimi juris eſt, vid. *tot. tit. ff. d. Donat. inter Virum vxorem.* Quid autem ſi capite damnatus eſt? Equidem Vlpianus *L. 7. ff. de mortis cauſa donat.* reſpondet: Si aliquis mortis cauſa donauerit, & pœna fuerit capitis affectus: remouetur donatio vt imperfecta. Verum illud diſplicuiſſe Conſtantino, edocemur ex *L. 24. C. d. donat. inter virum & vxorem: Et donatio maritalis*, ait, *quæ ante tempus criminis ac reatus eſt collata in vxorem, quia* PVDICITIÆ PRÆMIO *ceſſit, obſeruanda tanquam ſi maritum natura, non pœna ſubduxerit.* Conferendus Franciſci

Balduini Constantinus Magnus *L. 2. p. mihi 194. seqq.* Quare pari etiam ratione non incongrue dixeris, sponsalitia donatio in sponsam collata, si osculo interuenien-te non secutæ nuptiæ fuerint, quia pudicitiæ præmio cessit, pro parte dimidia obseruanda est.

§. 13. Hactenus sponsæ pudicitiam osculo delibatam commonstrauimus, iam sponsi pudicitia salua ostendenda est. Sponsalitiam largitatem sponso datam amitti antea asserimus, quod huius non sit amissa pudicitia. Plane quod osculorum sinceritatem olim requisiuit seuera veterum grauitas id ad viros non pertinuisse abunde patet. Etenim vbique fere gentium a longissimis retro seculis fœminæ ad maiorem quam masculi castitatis religionem adstrictæ fuerunt. Hinc castitatis obseruationem sexui sequiori, tanquam præcipuum debitum, inculcat Iustinianus in *L. 5. ad Senatus cons. orfitianum.* Et profecto non eandem fœminarum atque virorum nic esse rationem, videor mihi etiam aliunde probare posse. Is qui fœminas appellauit, siue quemadmodum Vlpianus interpretatur in *L. vlt. §. 10. 22. ff. de iniuriis* blanda oratione illarum pudicitiam attentauit, iniuriarum tenetur *d. L. 15. §. 15.* Nec minus ille iniuriarum iudicio conueniri potest, qui adfectatur i. e. tacitus frequentet fœminam sequitur, quod sua frequentia quasi non nullam præbeat infamiam, *d. L. 15. §. 22.* Hæc ergo de fœminis solum statuerunt veteres iuris conditores, quæ omnia qui ad viros protrahit aniliter desipit, atque ad ignatos & gentiles deducendus est, an fœmina viri pudicitiam blanda oratione tentasse dici potest? an si uella tacitus frequenter sequatur iuuenem, sua frequen-

quentia præbebit infamiam? Quod si recte Tertullianum capimus ille virgines solum per osculum pudorem resignasse ait, inuenem non æque, cuius nempe pudicitia in osculorum sinceritate non consistebat, atque ea propter non poterat (tertulliani verbo) resignari.

§. 14. Posteaquam nostram sententiam proposuimus atque confirmauimus, nunc illa expendenda restant, quæ ad eam impugnandam alii afferunt. Primo autem loco prodeant, quæ contra nostrates disputat Pagenstecherus *Tractatu de Iure Virginum §. 83.* Seuia quamuis amoris etiam sint, iis tamen pudicitiæ & virginitati nil detrahi putat, cum desit illa referatio. Prouocat nimirum Pagenstecherus ad Innocentium tertium qui, virgines ait esse mulieres quibus *naturales fere* a viro nondum sunt *reseratæ*, indeque concludit vlterius atqui osculo naturales feræ reseratæ non sunt, ergo virginitas etiam remansit illibata, atque sic erroris Ddres conuictos existimat qui nostræ legis rationem ex pudicitia sponsæ osculo delibata repetunt. At mitiora quæso verba! ne dum aliis errorem obiicis ipse dicaris imprudentia lapsus. Cauillam auffer ita totius rei ratio omnibus erit explorata. Equidem illud ambabus manibus Pagenstechero largior, naturales feras osculo non referari; neque enim eo vnquam veterum sententiæ decurrerunt, quin si naturales feræ a viro reseratæ non sunt nec virginitatem esse delibatam concedo. Habeo ergo inquis, reum confitentem. Verum egregie falleris; si virginitatem illam innuis quam feris osculum refers, quæq strictiorem significationem habet, hanc fatcor concubitu esse expugnandam, sin illam in eligin ut quæ

tur atque ambitu ſuo non ſolum (liceat loqui cum Pagenſtechero) feras non reſeratas, ſed etiam oſculorum ſinceritatem atque oculorum caſtitatem comprehendit, inepte concluditur ſi feræ non ſunt reſeratæ nec virginitas eſt delibata. Namque oculis ſolis etiam de virginitatis integritate poſſe quicquam delibari, concubitu accedente nullo, exiſtimauit Scipio Africanus teſte Floro ſuperius *cit. loco.* Sane, niſi oculis etiam Romani pudicitiam poſſe attentari crediſſent, cauſam video nullam cur Iouianus Imp. prohibuerit ne impudicos oculos in ſacras virgines quisquam coniiceret, ſiue noſtro loquendi more daß niemand mit den gehepligten Jungfrauen charmiren ſolte/ Autor eſt Nicephorus Calliſtus *Lib. 10. Hiſt. Eccleſiaſtica. cap. 30.* Iſtud quoque propugnaculum quod ſibi Pagenſtecherus ex Valerio Maximo exſtruit, quoque contra nos ſe vſurum putat, ex eius defenſione nunc eſt deiectum, atque adhuc dum noſtram ſententiam tuetur. Supra ex Valerio Maximo retuleram filiæ ſuæ Mænium præcepiſſe, vt non ſolum virginitatem illibatam ſed oſcula ad virum ſincera perferret. Exinde Pagenſtecherus ſibi virginitatem videtur adſtruxiſſe ſaluam. En, inquit, quæ oſculum paſſa eſt, virginitatis tamen manſit illibatæ, ſed hisce eadem diſtinctione quam antea ſuppeditauimus occurri poteſt. Verum aliud ille mouet dubium, cur quærit ſi ea, quam illi volunt, oſculi indoles eſt, non & ſemiſſem amittit ſponſa rerum ſponſo donatarum? Rationem hanc accipe, quia oſculo ſponſi nec pudicitia delibatur, nec conſenſus

con-

coniugalis declaratur, quod quoniam ſupra abunde probatum dedimus eo potius remittendus eras.

§. 15. Neque vero illa quæ Magnif. Sleuogt. nobis obiicit ἀναίμαφόντα relinquenda ſunt; primo ex ſacris literis conſtare ait, primæ eccleſiæ Chriſtianos ſe oſculatos inuicem, & illa pacis oſcula, illa, Tertulliani verbo, ſignacula orationis paſſim frequentata fuiſſe, vt igitur neutiquam ipſis perſuaſum fuerit, virginitatem aut pudicitiam per illa ſola delibari, nec tantam vim osculo tribuerint ſi ſponſæ a ſponſo figatur. Verum hæc omnia ſi accuratius examinamus, noſtram potius confirmant ſententiam, tantum abeſt vt ab illa nos depellant. Hoc ſatis certum olim in more Chriſtianos habuiſſe osculo ſe amplecti inuicem, quod, quoniam dabant rebus diuinis deſeruientes, ſanctum dicebatur 1) illud vſurpatum fuit, quando ſacris dapibus fruebantur, & quidem ante & poſt SS. Euchariſtiæ vſum. Ante communionem ſacram præmonente Diacono: *Oſculamini vos inuicem oſculo ſancto?* ſe mutuo amplexi ſalutem his verbis annunciabant: PAX TECUM MI FRATER! Sic etiam poſt cœnæ vſum ſibi mutuo in amplexus ruebant, iisdemque formulis excitabant, hæc autem oſcula quæ diuinæ menſæ hoſpites ſibi fixerant PACIS OSCVLA appellantur, vid. B. G. Gœzius *cit. diſſert. Art. 2. §. 19.* Plurimum Reuerendus Eccleſiarum Tautenburgicarum antiſtes Io. Friderici *Liturgia veteri & noua, c. 4. Sect. 5.* ibique Iuſtinus Martyr, Cyrillus, aliique plures 2) adhibitum fuit in precum ſolennium cumprimis orationis dominicæ clauſula, teſtis eſt locuples Iuſtinus martyr *oſculo*, inquiens, *nos inuicem ſalutamus quando a precibus*

bus ceſſamus, vnde oſculum illud Tertullianus vocat ORATIONIS SIGNACVLVM. Dilherrus AMEN REALE. Quapropter apud primæ Eccleſiæ Chriſtianos vſitata oſcula fuiſſe diffitendum non erat. At quid inde? ſi inter viros ſolos, atque fœminas ſolas tantum frequenta oſcula fuerunt, neque hæ illis, neque illi hisce promiſcue oſcula dederunt. Namque viros a fœminis ſeorſim ſediſſe teſtatur Ambroſius *ad Virgin. Lapſam. cap.* 6. Et optime *d. l.* monet D. Friderici; Perſpicuum ex ſacra antiquitate eſſe, in veteri eccleſia virorum & mulierum diſcrimen fuiſſe habitum, dum irent ad accipiendam euchariſtiam; ſicut receptum erat, quando in conuentibus ſacris orarent, aut hymnos Deo aut Chriſto inuicem canerent, aut lectioni & verbi diuini prædicationi auſcultarent, vt diſtincti ſtarent ſederentque. Cum igitur in tanta oſculorum copia viri ſequiori ſexui oſcula nulla tulerint, quomodo Chriſtianorum conſuetudo de priſca Romanorum grauitate dici poterat deflexiſſe? Quod vero Magnif. Sleuogt. ex noſtra communiori Legis ratione iniquitatis quicquam promanare arbitratur his videor mihi priori tractationis parte *pag.* 26. quibus vt aliquid addamus non eſt neceſſe. Hoc quidem maiorem dubitationem habet, quod vlterius opponit, quia concubitus nuptias non facit, nec pudicitiam quam oſculo dicimus delibatam quæque ad concubitum comparatur illas inducere. Verum cum §. 21. conceſſerit concubitum ſponſalibus accedentem nuptias facere, neque illam vim oſculo prorſus denegabit poſteaquam pudicitiam hoc quoad ſponſam delibari euicimus. Veriſſima omnino eſt Vlpiani regula, nuptias con-

cenſenſus non concubitus facit, & noſtra nihilominus ſententia ſalua; per ſe quidem ſolus concubitus matrimonium haudquaquam inducit, illud etiam ſi Romani credidiſſent, ſtuprum apud illos nemo commiſiſſet, quod eſt falſiſſimum. Interim tamen vbi aliunde poterat conſtare, de matrimonio ſenſiſſe partes, tum ſi concubitus acceſſerat, matrimonium præſumebant. Plane quodſi in liberæ mulieris conſuetudine non concubinatus ſed nuptiæ intelligendæ ſunt, vt viterur præſumtio delicti *L. merito 51. ff. pro ſocio* quanto magis matrimonium præſumendum erit, cum fide de matrimonio ineundo vtrinque data, concubitus acceſſit. Namque reipublicæ vtilior eſt ea interpretatio quæ iuſtam vxorem facit, & iuſtos liberos ex eâ coniunctione tanquam ex iuſto matrimonio ſuſceptos Io. Strauch. *Diſp. 3. d. R. I. §. 17.* Neque eſt quod regerat D. Sleuogt. fœminam concumbentem ſub ſpe futuri matrimonii id feciſſe præſumi, non oſculantem; Etenim ſi oſcula ad licentiam coniugalem pertinuerunt, quod cum Tuldeno agnoſcit Sleuogtius, vtique puella cui oſculum a ſponſo datur, illam licentiam ſpe nuptiarum admiſiſſe cenſenda eſt. Sed video Magnificum Sleuogtium negare, Tertullianum, quem antea pudicitiæ oſculo delibatæ teſtem adduximus, noſtræ ſententiæ patrocinari: Tertullianus, inquit, non de virginitate aut pudicitia, ſed de pudore aut verecundia loquitur: cuius imminutio nequaquam illius iacturam trahit, ſed reſpondemus pauciſſimis: deſponſatas, Tertullianus ait, per oſcula corpore & ſpiritu masculo mixtas reſignaſſe pudorem h. e. pudicitiam; cum concubitu enim contendit oſculum, ergo pudicitiam reſignatam de-

 bue

buit innuiſſe, accedit quod pudorem pro pudicitia compluries legamus vſurpatum. Ita Cicero in Orat. pro Cluentio pudorem libidini oppoſuit.

§. 16. Hactenus noſtram ſententiam & firmauimus & ab aliorum obiectionibus vindicauimus, iam eorum doctrinæ, qui a nobis diuortium fecerunt, veniunt expendendæ. Illud equidem lubens profiteor atque ingenue, ne communiori quidem interpretum opinioni me vbique adſtipulari, cum & illi ipſi admodum varient, atque inter ſe diſſideant; Sponſam cui oſculum datum eſt in propatulo habuiſſe pudicitiam, plerique vltro confitentur, concluſiones tamen quas quisque inde producit, non inter ſe ſatis apte conueniunt. Alii in præmium delibatæ pudicitiæ dimidiam partem donationis ſponſæ dicunt concedendam; Alii addunt nuptias ſecutas videri, atque oſculum matrimonium feciſſe ratum; Alii ſponſam per oſculum ſponſo arctiore fœdere ſociatam credunt; Dd ſupra nominauimus; Alii ſponſum quaſi maritum eſſe dicunt, aut certe plusquam ſponſum, inter quos is quem ſupra omiſi hic nominandus Obrechtus *d. diſſp. 5. n. 52.* alii denique ſponſum volunt aliquam corporis fruitionem in ſuam delectationem accepiſſe, per quam conceſſionem ſponſa, adimpletionem factæ promiſſionis inchoando, dimidiam partem donatorum pleniſſime lucretur Bodinus *d. Diſſert. de Donat. propter nupt. th. 2.* Illi qui dimidiam ante nuptias donationis portionem ſponſam tanquam pudicitiæ delibatæ præmium retinere contendunt, ſi donationem remunerandi animo celebratam effingunt, recipiendi non ſunt, ſin illud innuunt, dimidium in præmium conditionis nuptiarum

ım adimpletæ retineri, nos noſtros iis addimus calcu-
os. Qui nuptias pudicitia delibata prope ſecutas vide-
putant, ſi vtrinque æquale vinculum natum eſſe exiſti-
ıant, a noſtra ſententia nimium quantum abhorrent,
ieque ſic ſolida vlla apparebit ratio, cur non eadem in
ponſo obtineant, quæ enim illi comminiſcuntur diſpari-
atis cauſas, ſi accuratius examinantur, in incili omnes
dhæreſcunt, quemadmodum mox patebit clarius, acce-
dit quod ex illa, quam aſſignant, ratione vniuerſa do-
ıatio ad vtrumque pertinere debuerit, dum enim ma-
rimonium vtrinque conſummatum dicunt, fateri neceſſe
ıabent, illud plene fuiſſe ſubſecutum, namque aut ſpon-
ſalia apud Romanos contracta erant, aut nuptiæ, ter-
ium apud illos non dabatur, nec matrimonium ratum,
vti Canoniſtæ, agnoſcebant. Eo etiam, quia recidunt
quæ Obrechtus habet, idem quoque merebuntur iudi-
cium. Quapropter ad illorum tantummodo ſenten-
tiam deſcendimus qui ſponſam ſolam arctiore nexu per
oſculum ſponſo ſociatam, atque per conceſſionem pudi-
citiæ adimpletionem factæ promiſſionis inchoaſſe dicunt.
Neque morari nos poteſt vnius conſenſum non facere
nuptias ſed vtriusque requiri, hoc enim ambabus largi-
mur manibus. Interim ad illud quod ſponſa dimidiam
lucraretur donationis portionem, ſufficiebat ex Conſtan-
tini mente, ſi illa ex ſua parte conſenſum præſentem in
nuptias declaraſſet. Ceterum nec eas rationes omni-
modo approbamus, quibus demonſtrare ſatagunt, cur
ad vniuerſam donationem reſtituendam ſponſus adſtrin-
gatur. Falſiſſima omnino ſunt Ddrum ſomnia, oſculum
ſponſi gratia ſponſam dediſſe, ſiue vt alii efferunt ſpon-

tam tuliſſe & abſtuliſſe oſculum, ſane quod ſponſi dedit, illud accepit, ex aduerſo quod accepit illud dedit, vt recte dudum Quenus videatur ceciniſſe:

Baſia, Philli, aliis dare non vis, at data ſumis,
Nimirum ſtis hæc accipiendo dari.

Eſto etiam ſponſum oſculum accepiſſe non ſponſam, quid efficietur iſthac concluſione? An illud forſitan quod Sichardus tradit ſponſum oſculum remunerari donationem; non ſponſam quippe quæ nullum accipere poſſit. Quam vero procul tamen illud ſit iuſtis oſtendemus. Neque vero video quomodo in illam Sichardi ſententiam diſcedere potuerint, cum legis rationem ex nuptiis propeſecutis repetierint, atque exinde dimidiam donationis partem ſponſæ dixerint aſſignandam; An forte arbitrati ſunt, quia nullum ſponſa a ſponſo videretur oſculum accepiſſe nec ſponſi pudicitiam oſculo deliberi potuiſſe, verum quamuis ſic vera quidem concluſio ſit, tamen præmiſſe, vt philoſophi loquuntur, ſunt falſæ. tenim quanquam Romani ſponſi pudicitiam ſuauio on delibatam crediderunt, oſculum tamen ſponſum a ponſo quoque accepiſſe, nec fieri non poterat, cum vtrinue etiam ſenſus dulcedine quaſi perfuſos, moueri, eximem. Alii ſponſi pudicitiam oſculo non deminutm aperte fatentur, ideoque ſponſum ad omnia munera ſtituenda teneri dicunt, vim argumenti tamen non ſatis demonſtrant, ſi conſenſum coniugalem ex propter on declaratum eſſe innuunt, ſane habemus quod voluus. Sin eo iterum recurrunt ſponſi pudicitiam quia, culo non proſtratam Romani putauerunt, non donone potuiſſe compenſari, a ſanctis nimium quantum cum

cum Sichardo aberrant. Illa profecto diſparitatis ratio quam Obrechtus comminiſcitur, prorſus meretur explodi. Quoad ſponſum, ait, integra infirmatur donatio, quia hoc rarius accidit, ideoque non in ſingularem venit conſiderationem. Quid hoc quæſo eſt? Num illud fortaſſe intelligit πολυεγκλητον, eorum quæ raro accidunt, nullam leges habere rationem, ſed quorſum hæc? conſequentiam video nullam, & habuiſſe denique Conſtantinum huius donationis rationem exinde patet, quod vniuerſam ſponſæ eiusve hæredibus iuſſerit reſtituendam.

§. 17. Progredimur ad Sichardi & Pagenſtecheri ſententias, qui quoniam donationem remuneratoriam in Lege noſtra ſubeſſe opinantur, ſponſalitiæ largitatis naturam, de qua agit Conſtantini ſanctio, non recte videntur percepiſſe. Finge ſponſum ſponſæ intuitu nuptiarum, vel quod perinde habetur, ſimpliciter munera dediſſe, poſtea ſe diſſuaſuri inuicem, an muneribus quæ intuitu futuri matrimonii dederat, nunc oſculum ſponſus remuneratus cenſebitur? Sane illud negamus: Namque primo adimplenda nuptiarum conditio erat, deinde remunerandi animus non præſumitur, ſed nominatim cauſſa & meritum exprimi debebat, notante Obrechto *d. diſp. §. n. 169.* Clarius patebit error atque manu teneri poteſt, ſi poſt oſcula donationem ſponſalitiam factam eſſe ponamus. Pone ergo prius interueniſſe oſcula poſtea expreſſe ſub conditione ſi nuptiæ ſequantur, quicquam ſponſæ donaſſe ſponſum, quomodo illud remunerandi animo datum eſſe, dici poterat, cum plane diſſertis verbis aliud fuerit cautum.

§. 18. Quæ doctrinæ Sleuogtianæ obſtare viſa ſunt, ea quoque nec ſilentio prætereunda erant, ne ſine omni ratione diſſenſiſſe viderentur. Quoniam Magnificus Sleuogtius nuptias fatetur vtrinque eſſe ſecutas, & matrimonium ratum quoddam Romana legislatio non agnoſcit, non dimidiam ſed vniuerſam donationem debuit lucrari ſponſa, quod tamen aperte noſtræ legi repugnat. Illa porro diuerſitatis ratio quæ a fauore dotis repetitur adæquata non eſt. Et ei denique, quam a profuſione ſponſæ in ſponſum temeraria arceſſit, opponi poſſunt ſequentia. Primo quod cumprimis velim notari, ea quidem ratio à Conſtantini mente eſſe videtur alieniſſima. Raro enim accidere ait Conſtantinus, vt ſponſa ſponſo quicquam largiatur, quomodo ergo ſuſpicari potuit Cæſar, ſponſam, vbi rerum ſuarum eſt arbiter, liberalitate diſſolutori hæredibus ad inteſtato venientibus multum detrimenti eſſe contracturam. Admittamus etiam Magnifici Sleuogtii doctrinam duo tamen inde profluunt παράδοξα quæ ſunt nequaquam admittenda, primo illud quod antea notauimus inde conſequetur, munera quæ ſponſi parentibus ſponſa dedit pro parte dimidia ſuſtineri, quæ ſponſo largita eſt vniuerſa reuocari, quod profuſio temeraria quæ huic obſtat, illis opponi non poſſit. Porro ita exinde licebit argumentari, etiam nuptiis plene confectis munera reſtituet ſponſus, quoniam vbi ſponſa rerum ſuarum eſt arbiter profuſio eius in ſponſam temeraria metuenda eſt, verum hoc ipſiſſimis Sleuogtii traditis repugnat, illo caſu omnia vtrumque lucrari confitentis.

Mem-

Membrum TERTIVM.

Quo quid fora obſeruent oſtenditur.

§. 1. Iam ordo rerum nos deducit ad vltimam commentationis noſtræ partem qua quidem illud diſquirere animus eſt, an, & quatenus vſu fori ſit lex noſtra comprobata? Neque vero hic in vnam eandemque ſententiam Dd. concurrerunt, quod & quisque vel paululum in horum ſcriptis volutatus, fateri neceſſe habet. Quapropter in pauciſſimos Clariſſimum Ludouici incidiſſe ſuſpicor, quando de praxi noſtræ legis altum teſtatur apud Dd eſſe ſilentium, *V. P. ff. d. Sponſ. diſt. 4.* nec ſe meminiſſe nec audiuiſſe nec reperiſſe confitetur ſponſalitiam largitatem vnquam fuiſſe redditam. Sane altum apud Dd ſilentium eſſe confidentius paululum aſſeritur, interpretes enim bene multi quique quotidie a viris doctis lectitantur, quid hic fora ſeruent pertractarunt, & quod ſe nullibi reperiſſe addit reſtitutam eſſe ante nuptias donationem, illud in Ienenſium Reſponſo apud Richterum atque alibi deprehendimus. In tres autem partes diſceſſerunt Dd atque iuris interpretes. Alii pro obſeruantia iuris Iuſtinianei, pugnant. Alii noſtris moribus penitus inde diſceſſum fuiſſe contendunt adeo, vt vniuerſa donatio ſponſalitia, morte ſubſecuta & a ſponſo atque ſponſa retineatur. Alii denique non ſponſum ſolum ſed ſponſam quoque, quamuis oſculum interueniſſet, ad ante nuptias donationem reſtituendam adſtringunt. Quibus quælibet ſententia ſubnixa fundamentis ſit, iam examinabimus.

§. 2.

§. 2. Ex iis ergo, qui adhuc hodienum iuxta Conſtantini Sanctionem diſtinguendum eſſe arbitrantur, vtrum ſponſus an ſponſa munera dederit, numque priori caſu oſculum interuenerit nec ne, mihi occurrunt Herr. Neuenhanius *Tract. de Iuribus ac Priuilegiis Viduitalii Sect. 10. lit. d. p. 130.* Vincentius de Franchis *Neapol. dec. 503.* quibus etiam adſtipulatur Clariſſimus Ludouici *Vſu Pract. ff. de Sponſalibus Diſt. 4.* licet rariſſime euenire putet, quod oſculum non interuenerit, & hac in parte ſponſam probatione non velit onerandam; vtpote quæ pro ſe præſumtionem militantem habeat. Namque pro iure Iuſtinianeo exiſtimant ſtare præſumtionem non eliminati vſus, idque autoritate rerum iudicatarum maxime iuuari, cum ſecundum *L. 16.* Neapoli iudicatum eſſe ex Vincentio de Franchis referat Bernh. Græv. *2. concl. pract. pr. conſ. 1. n. 1.* Plane cum nuper admodum ex viro quodam ſummo, & praxeos germaniæ peritiſſimo quærerem, num adhuc Conſtantini Reſcripto in *d. l. 16.* apud nos ſuus conſtaret vigor? id ego reſponſum tuli: quod non probatur abrogatum, cur ſtare prohibeatur? Videmus et animum huius iuris ſupereſſe veſtigium in conſuetud. Rupellana *art. 46.* qua cautum eſſe refert Iac. Gothofr. *ad d. L. 5. Cod. Th. mulierem poſt mariti obitum i ſer cætera ſibi habere, quod donato accepit pro inte oſculi.*

§. 3. Verum enim vero ab hac quidem ſententia, qua legis noſtræ obſeruantia adſtruitur, quæque ſuis non deſtituta rationibus autoritate rerum iudicatarum confirmatur, multi diuortium fecerunt, rati, in Germaniæ foris noſtram non inualuiſſe legem, ſed noſtris mo-

ri-

ribus cum ſponſo tum ſponſæ munera ſponſalitia ſine vllo diſcrimine adiudicari, quando morte præpeditæ nuptiæ fuerunt. Sic Magnificus Titius nuper admodum pie defunctus *Obſ. ad Lauterb. Comp. 746.* quæ de osculi interuentu ex lege noſtra affert Lauterbachius, hodie non obtinere ait, hicque eadem obſeruanda putat quæ de arrhis dixerat, dixerat autem præc. Obſerv. has contra Romanam legislationem hodie retineri. Huic quoque aſſentiri video Excellentiſſimum G. Beyerum *Poſit. Iuris ad ff. d. t.* Neque vero hæc ſententia noua eſt, ſed dudum a præclaris Iureconſultis propugnata. Nullam plane condictionem hic ſuperſtiti dari, ſiue ſponſus ſiue ſponſa moriatur, iam pridem docuit Georgius Obrechtus *dict. Diſp. 5. n. 63.* quem probat, & ſequitur Coll. Iur. Argent. *p. 11. ff. de ſponſalibus* & huiusmodi donationes hodie pro ſimplicibus haberi tradit Ælias Aug. Stryck. *diſſ. de matrim. præſumto cap. 2. n. 65.* quales, ſi per mortem matrimonium non ſequatur, reuocare nequeunt, vnum idemque ſentiunt Carpzouius *P. 3. C. 19. d. 13.* B. Stryck. *ad Brunnem. Ius Eccleſiaſt. L. 2. c. 16. §. 4. p. 578.* Et profecto illam opinionem aperte in terris Wurtenbergicis eſſe approbatam edocemur ex Ordin. Prouinciali *p. 4. c. 2. in pr.* ibi: Dann ſo der verlobten Perſonen eine vorgehaltenen Kirchgang/ und ehe die Decken durch eheliches Beylager beſchlagen/ verſtürbe/ ſoll ohne ſondere Verſchaffung/ das Uberlebende von dem Verſtorbenen (auſſerhalb/ was es von demſelben bey ſeinem Lebezeiten auf die Ehe oder ſonſten Verehrungs-Weiſe empfangen) nichts erben. Quid? quod? & Lubecenſium moribus

idem receptum esse testatur Mœuius eius iuris peritissimus ad *Iur. Lub. L. 1. Tit. 6. ad Rubr. n. 11. Consuetudine in his locis*, ait, *vbi iure lubecensi vtimur postrema pars distinctionis* (quæ habetur in *L. 16.*) *vsu aque non obseruatur, sed æquata sponsi ac sponsæ conditione, nec attento osculo, sponsis ex amore data sponsalitia munera addici solent, quasi indignum sit heredes sponsæ ea amoris pignora aut osculi præmia retinere. Atque a Collegiis iudicis hunc vsum comprobatum didici ex iis quæ ab aliis obseruata reperi.*

§. 4. Attamen neque priorem illam, neque hanc posteriorem sententiam suo assensu exceperunt Antonius Gubertus Costanus *de sponsalibus pag. mihi 35.* Iac. Gothofredus *ad d. L. 5.* Grœnvvegen *ad d. L. 16. ibique Dd. allegati.* Lauterb. *Disp. de donatione propter nupt. aph. 44.* Huberus *Prælect. ad ff. de Iure Dot. n. 20. initio*, Richterus *dec. 147. n. 17. seqq.* Mencken. *tract. ff. synopt. de sponsalibus p. 340.* qui quidem omnes adhuc sponsum ad munera sponsalitia reddenda, teneri tradunt *per d. L. si a sponso 16.* quod vero sponsæ ob osculum dimidia donationis portio conceditur, id hodie aliter se habere docent. Huic igitur opinioni & communiori & veriori quoniam me quoque adscribo, mearum partium erit rem fusius paulum exsequi, & iuris Romani hac parte non recepti causas ostendere.

§. 5. Sponsalitiam largitatem vel expressam vel tacitam nuptiarum conditionem continere nouimus, ideoque aliter sustineri non posse, nisi conditio nuptiarum sit omnimodo adimpleta. Atque hoc quia Iustinianeo Iure omnino conuenit, & summa etiam suadet æqui-

æquitatis ratio, quin noſtris moribus optime congruat, temere dubitandum non eſt. Equidem noſtra lege ſponſa dimidiam lucratur ſponſalitiæ liberalitatis partem, ſponſus non æque, diſparitatis ratio hæc aſſignanda eſt, quod illa adimpleuerit conditionem nuptiarum, atque pudicitia oſculo delibata conſenſum declarauerit coniugalem, ſponſus non item, quippe cuius pudicitia oſculo non potuit diminui, nec conſenſus hac ratione exprimi. Quod igitur ſponſum ad donationem reſtituendam adſtrinxerunt Romanæ leges, id vtique Germaniæ moribus obtinebit ex eadem ratione quæ Iuſtinianeo iure prodita eſt nuptias non eſſe ſecutas; quod tamen dimidiam ſponſalitiæ largitatis partem ſponſæ Conſtantinus putauit aſſignandam, illud neutiquam apud nos recipi potuit, cum hodie pudicitia oſculo non credatur amplius delibata, atque ea propter nec nuptiæ cenſeantur confectæ; Legis ergo ratione ceſſante eius quoque diſpoſitio ceſſabit. Potius ita hodie erit concludendum; Quando matrimonium non eſt conſummatum nec ante nuptias donatio retinetur, quod etiam inculcant Romana iura, atqui cum morte impediuntur nuptiæ quantumuis oſculum interuenerit, tamen ille non ſunt ſecutæ, ergo nec donationem ſponſa lucrabitur.

§. 6. Sane dudum ab illa ſeuera veterum grauitate, atque oſculorum reuerentia eſt deſcitum, ad Gallorum libertatem transcurſum, vetus diſciplina deſerta, noua inducta, vt rectiſſime ſummus olim apud Belgas ICtus Vlricus Huberus cit. loco quærat: Quid hæc conſtantini tradita ad Germaniam? quoniam oſculorum

vſus noſtratibus adeo eſt tralatitius, vt nullum inde poſ-ſit notabile induci diſcrimen. Graphice atque elegan-ter iam pridem in hanc rem diſſeruit B. Stryckius re-ſponſo, quod *tr. d. diſſens. ſponſalit: ſect. 1. §. 28.* curauit inſerendum: Es iſt allhie non priſca morum ſeueritas, ſed præſens vitæ aulicæ liberior ratio in conſideration zu ziehen, da die Cauallier, und Dames in ſo groſſer Freyheit conuerſiren, und die ungemeine Familiarität, mit den Titul der galanterie bekleiden, daß ein andet ſo dergleichen conuerſation ungewohnt leicht eine Verlöbung præſumiren ſolte, und alſo was die Dd. de tractatione ſponſalitia ſchreiben, quod illa ex oſculis & amplexibus præſumatur, auf die heutige freye conuerſation mit dem Frauenzimmer nicht kan gezogen werden, noua enim hominum conuerſatio a ſeculorum priorum aſperitate penitus receſſit, vti in alio quodam caſu bene tamen quoad præſentem loquitur Imp. *in §. fin. I. de Nov. act.* vnde quæ alias contra oſcula ſta-tuta, quod ſcil. propter ea etiam aliquando quis feudo priuari poſſit *arg. 1. Feud. 5.* Vulteius *de Feud. l. 1. c. 11. n. 31.* commu-niter limitatur a Dd. niſi mos regionis aliud induxerit Brun-nem. *de Oſculis § 26.* Hactenus B. Stryckius.

§. 7. Et profecto veriſſima ſunt illa Erasmi Roterodami verba; quocunque nos moueamus oſculorum plena eſſe omnia. Etenim hodie apud Belgas Anglos & Gallos his oſculis nil eſt frequentius. Anglorum equidem mulieres non modo cognatos, ſed quoscunque generatim oſculo ſa-lutant atque reſalutantur, *& primoribus quidem labris tam decentiſſime, quam honeſtiſſime: quæ vero Regio ſunt ſanguine orta nonnſi erioribus libant, ſed manum aduerſam porrigunt, perinde vt viri ſalutationis gratia* B. Gœzius *philogem. de oſculo d. Art. 3. §. 11.* ibique Herrenſmid *p. 367. ex Polyd. Virgil. L. 4. c. 13.* De Gallis quoque re-ci-

citat Salmuth. *in Pancirollum l. 1. p. 441.* quod honori ſibi ducant, ſi adueniens hoſpes vxorem, ſorores, filios etiamnum virgines oſculo ſalutet. Idem teſtatur de ciuibus ſuis Antonius Gubertus Coſtanus Regius Tholoſæ quondam ſenator *d. l.* atque Gregorius Tholoſanus *cit. loco.* Ruſſorum conſuetudinem huic ſimilem exponit L. B. ab Herberſtein *Comm. Rerum Muſcovic.*

§. 8. Sed quid de Germanis ego dicam? Neque noſtris credo moribus puellam diſuauiari nefas habetur, & ne quid diſſimulemus ciues! animo æque libenti atque aliæ gentes in virginum accurrentium amplexus ruimus. Illud ſatis mirari nequeo quod apud Fabrum *in voce Oſculo* proditum lego: *Germanos hac in parte ruſticulos præ aliis gentibus videri, aliaque omnia petere a Gallis hanc vnam humanitatis partem negligere.* Sane quamuis olim Germani ab illa humanitate, ſi humanitas appellenda eſt, longiſſime abfuerint, dudum tamen de ſpatio curriculoque deflexit conſuetudo maiorum, & oſculandi licentia a Gallis orta in noſtrates ſe iam vulgauit, vt qui hodie hac parte ruſticulos Germanos appellet, in illos maxime ſit iniurioſus.

§. 9. Neque vero diffitemur Italos atque Hiſpanos ſeueram veterum grauitatem huc vsque a ſalſuginoſa aliorum vicinia ſartam tectamque conſeruaſſe, vt adhuc hodie fœmina pudicitiam vulgaſſe cenſeatur, quæ ſinceritatem oſculorum inſuper habuit. Videantur Antonius Gubertus Coſtanus *d. l.* Gœzius *Philogemat. de Oſculo Art. 4.* Quibus adde quos præcedente *Membro* §. *11.* adduximus.

§. 10. Sed vt ad illud reuertar, vnde diſceſſeram; quandoquidem igitur apud nos oſcula Lauterbachii verbis vrbanitatis, officii, & ſalutationis gratia exhibentur, & pudicitia iis non creditur amplius delibata, ideoque nec in conſenſus coniugalis argumentum accipi queunt. Vnde illud vlterius efficitur, quod probandum ſuſcepimus, ſponſam non minus quam ſponſum ad munera ſponſalitia reſtituenda teneri nuptiis morte non ſecutis, quia vbique hodie eadem ſubeſt ratio.

§. 12. Atque ſicuti hæc ſententia iuris Romani principiis eſt conuenientior, ita ſecundum illam quoquoque, ſi de muneribus reſtituendis quæſtio incidat, iudicandum eſſe cenſemus. Certe iam olim ſecundum eam iudicatum fuiſſe *Tholoſæ 1575. 12. Iulii* refert Antonius Gobertus Coſtanus *d. l.* vbi nempe *Petrus Daries* eiusque *filia* decreto Tholoſani ſenatus *Iacobo Paloto & Catharinæ du Puy* munera ſponſalitia reſtituere iuſſi ſunt poſteaquam ſponſus *Stephanus Palotus* de medio exceſſerat. Eodem modo reſpondit *an. 1671. Menſe Ian.* apud Richterum *d. dec. 147.* amplisſimus ICtorum Ienenſium Ordo quod quidem reſponſum hue integrum transſcribendum duximus: A. i. u. euren Bericht nebenſt etlichen Rechts-Gründen zugeſchickt / und e. v. d. z. g. d. ſp. w. v. v. habt ihr euch verwichener Zeit mit Elia Fiſchers Tochter / Jungfer Marien Eliſabeth. in ein Ehe-Geldbniß eingelaſſen / ihr auch ein ziemliches an Geld / Ring / Kleidungen / in Hoffnung künfftiger Ehe-Vollziehung gegeben / hingegen aber von ihr nichts hinwiederum bekommen / es iſt aber die Braut vor der Hoch-

Hochzeit mit Tode abgangen/ deswegen ihr dasjenige/ ſo ſie von euch bekommen/ wiederum von ihren Eltern abfordern/ worzu dieſelben ſich aber nicht verſtehen wollen/ n. m. Inhalt n. h. Ob es nun wohl das Anſehen haben möchte/ ob wären eure gethane Geſchencke ingeſamt pro arrha ſponſalitia zu achten/ welche zwar nach gemeinen Rechten/ ihr Abſehen uf futurum matrimonium haben/ und demnach matrimonio non ſecuto repetiret werden könten/ heutiges Tages aber da ſponſalia per verba de præſenti pro matrimonio ipſo gehalten würden/ dergleichen arrhæ die Natur und effect meræ & puræ donationis hätten/ und alſo uff erfolgenden Todes-Fall irrevocable blieben/ zumahlen es bey der Braut nicht beſtanden/ daß die Heyrath nicht vollenzogen worden: Demnach aber und dieweil ſponſalia de Præſenti anderer geſtalt pro matrimonio nicht gelten/ als ratione vinculi und indiſſolubilitatis, im übrigen nach gemeinen Rechten auch dieſe ihre reflexion auf ein künfftig zu vollziehendes matrimonium nehmen/ dahero noch heutiges Tages die arrhæ etiam in ſponſalibus per verba de præſenti contractis zu deſto beſſer Bekräfftigung/ wie auch probationem celebratorum ſponſaliorum, und nicht zu bloßer Solennität nach gemeinen Wahn bewehrter Rechts-Lehrer/ Sanchetz *de matrim. Lib. 1. diſp. 35. n. 2.* Roderic. Suares. *in tit. de las arras in princ.* A. Gometz *L. 80. Tauri. n. 12.* Couarr. *de ſponſal. par. 2. c. 2. §. 7. n. 6.* Valaſc. *Conſult. 2. n. 1.* Cypreus *de ſponſal. c. 11. §. 5.* gebrauchet werden/ auch heutiges Tages ingemein unter einem Mahlſchatz und andern Geſchencken ein bekandter Unterſcheid gehalten wird/

wird/ hingegen nirgends zu befinden iſt/ daß ſolcher Unterſcheid per legem ſtatutum vel conſuetudinem uffgehoben/ oder arrhæ in ſimplicem donationem verwandelt wären/ ſo bleibt es auch ſo viel beſagte arrhas oder die Gaben ſo in ſecuritatem matrimonii conſummandi in actu deſponſationis eurer Braut gegeben worden/ in gegenwärtigen Falle bey der diſpoſition gemeiner Rechte in *L. 3. C. de Sponſalibus* ohngeachtet des Carpzouii ſingularer Opinion, billig. So viel aber die übrige donata oder ſponſalitiam largitatem betrifft/ wofern ihr ſolche ex mera liberalitate, und alſo daß dieſelbe nullo caſu an euch und eure Erben wieder zurück fallen ſollen/ nicht: Sondern contemplatione futuri matrimonii, welches euch zu beweiſen/ oder eidlich zuerhärten oblieget/ eurer Braut verehret/ ſo ſeyd ihr dieſelbe nach nuhmehro erfolgenden Todes-Fall ſecundum *L. ſi a ſponſo 16. C. de Donat. ante nupt.* (welcher Text ausgenommen die darin befindliche diſtinction de oculo annoch in vſu) ebenmäßig nach der Rechts-Lehrer opinion insgemein auch wieder zufordern berechtiget V. R. W.

§. 8. Optime ergo Ienenſes ſponſo ante nuptias donationem adiudicarunt reſtituendam. Sed an ad iusiurandum ſponſus adigendus erat, ſponſalitia munera contemplatione futuri matrimonii fuiſſe data? equidem illud affirmarunt Ienenſes, verba reſponſi ſunt: Welches euch zu beweiſen oder eydlich zuerhärten oblieget. Neque eo ſecius illud negandum eſſe exiſtimamus. Etenim licet ſimpliciter quicquam donaueris ſponſæ, tamen illud intuitu nuptiarum datum eſſe a lege præſumitur, *L. 15. C. d. Donat. ante nupt.* niſi aliud

ex

ex confeſſione partium vel ex donationum tabulis vel aliunde appareat Brunem. *ad L. 10. n. 6. C. de donat. ante nupt.* Excellentiſſimus Sleuogt. *cit. Poſit. Iuris.* §. 23.

§. 9. Liceat nunc referre non nihil illis, qui nec dudum a noſtra lege vlla parte diſceſſum eſſe volunt. Duabus autem rationibus eos commoueri video, primo pro obſeruantia Romani iuris eſſe præſumtionem capiundam, deinde Conſtantini legem Reſponſo Curiæ Neapolitanæ comprobari. Verum hisce ego non moueor; quod pro iuſtinianeis legibus præſumtionem non eliminati vſus militare confitetur communior Dd. Schola, id nobis amplius opponi nequit. Illam enim præſumtionem ſufficiebat contraria probatione eliſiſſe. Quod nam autem abrogati vſus clarius potuit eſſe argumentum, quam quidem illud quod ratio legis ceſſet, ideoque huius etiam diſpoſitio? Denique nec autoritate curiæ Neapolitanæ hæc ſententia iuuatur. Namque priſcam oſculorum reuerentiam atque ſeueram grauitatem, quæ apud nos exulat, nec hodie quidem apud illos deſiiſſe dixi. *Valeat igitur Sanctio Conſtantini, quæ nulla ratione apud nos ſuſtineri poteſt, & apud Italos Hiſpanos & alios qui inuiſam oſculationem habent, vim ſuam obtineat* ſunt verba Antonii Guberti Coſtani.

§. 10. Minori ſane vel plane nullo fundamento ſubnixa eſt, altera ſententia, qua aſſeritur, ſponſalitiam donationem hodie communi germaniæ conſuetudine ſimplicem haberi. Quodſi illud admittimus neque *d.*

L. 15. neque lex noſtra vllum in foro vſum amplius præſtabit. Sed adhuc tuto haſce leges ſequimur vbi earum abrogatio doceri nequit. Plane quando ſponſæ ſuæ ſponſus nominatim atque diſertis verbis contemplatione futuri matrimonii quicquam dedit, nuptiarum conditionem, eſſe adimplendam, hactenus negauit nemo. At ſi hoc confitentur illud etiam concedendum erat, cum donatio facta ſimpliciter i. e. nulla nuptiarum mentione iniecta, quoniam huic quoque præſumtione iuris tacita matrimonii conditio ineſt *per L. veterum 15. de donat. ante nupt.* Conſuetudine tamen hodie dicunt aliud eſt inductum, & poſteriori caſu donatio pura nec reuocabilis putatur. Hanc facti eſſe reſpondemus ergo probanda, quæ ſi commonſtrari non poteſt iuri communi inhæremus. Equidem non diffiteor Lubecenſium mores a iure Romano receſſiſſe, idemque in Wurtenbergicis terris contigiſſe, ſed ea propter, vbique Romana iura exulare minus recte concluditur.

Habes Lector Beneuole meam de ante nuptias donationibus commentationem, & exiguam quidem, eam nimirum quæ a mea ætate poterat expectari. Quodſi ego non ibique rem acu tetigiſſe videbor, illud benignius, ea qua doctos decet humanitate interpretare. Mea omnino referebat cum Salanis muſis vale dicendum erat hac ratione Mæcenatibus induſtriam meam comprobare, atq; oſtendere quid humeri valeant, quid ferre recuſent. Equidem nunc domum atque Hannoueranas terras ſpecto, & operam omnem meam (quam non impudenter vi-

videor posse polliceri) Augustissimæ Hanrouranæ Domui ad Regni dignitatem iam ascendentis, præstare cupio optoque. Ceterum summum ego numen veneror vt nostrum SERENISSIMVM PRINCIPEM ATQVE ELECTOREM GEORGIVM LVDOVICVM iam MAGNÆ BRITANNIÆ REGEM Potentissimum in seros vsque annos conseruet saluum sospitemque, & ab omnibus insidiis securum præstet. Nos quotquot imperium tanti Regis deuote veneramur, vota nuncupamus pientissima, vt Magnæ Britanniæ Regnum Senatorum summorum vocibus atq; suffragiis denuo ei assertum, & posteris decretum moderetur diutissime, atque illum, qui inani ausu indignissimus in id fastigium euehi gestit, si ex tenebris latebrisque erumpat, exterminet, & repellat

feliciſſime.

Pagina 56. lin. 21. ad verba: *tractationis parte p. 16.* quoniam omiſſa vox: *ſatisfeciſſe*, & ſenſus ideo maxime turbatur, hanc illic adſcribi cupio. Sphalmata fateor irrepiſſe plurima, illa tamen lector Benevolus nullo negotio emendabit.